

quos amat, arguit et castigat. Dilectus igitur Ioannes pluries prolabi, et humana pati permissus est: ut quod ex se erat agnoscens, quantum Christi gratiae deberet, intelligeret.

Primo enim ambitionis morbo tangitur, et primas sedes in Christi regno cum fratre affectans, se- vera objurgatione repellitur: *Nescitis*, inquit, *quid* (Matth. 20) *petatis*. Deinde, invidiae stimulis uritur, et zelo humano in quemdam daemonia ejicientem, et Christum non sequentem, quasi pro do- mino agens, audit: *Nolite* (Luc. 9.) *prohibere: qui enim non est adversus vos, pro vobis est*. Tertio in amarum vindictae desiderium impingit, dum in Samaritanos quosdam, quod Christum nolissent ac- cipere, indignatus dixit: *Vis dicamus, ut ignis descendat* (Luc. 9) *de caelo, et consumat illos, sicut et Helias fecit?* sed conversus dominus, ut vultu ipso plusquam verbis affectum illum vere carnalem comprimeret, illum cum fratre increpans, ait: *Nescitis* (Luc. 9.) *cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*. Demum dum cum Petro et Iacobo fratre, tempore quo erat vi- gilandum, et orationi instandum, dormit, somnolentiae arguitur: *Non* (Matth. 26.) *potuistis inquit, una hora vigilare mecum?* Verum haec, patres, non tantum propter illum, sed etiam propter nos scripta esse censendum est. Dum enim in hoc mundo peregrini versamur, et continuis carnis, mundi, satanae arietibus impelimur: succumbimus plerumque, manus damus, et in multis omnes offendimus. Quam- obrem, quod majus dilectionis testimonium exhibere potest clementissimus pater, quam si nos ju- giter admonere non desinat, paterno affectu corripiens nos doceat, *meliora esse* (Prov. 27.) *vulnera di- ligentis, quam fraudulenta oscula odientis?*

Cum ergo tentator ille nunquam dormiat, nunquam cesset, sed semper obambulet, quasi leo fame rugiens, captans et venans quem devoret: quatuor potissimum telis adversus eos, qui in Ioannis locum et dignitatem sufficiuntur, congregatur. Nam insatiabilem dominandi appetitum suggerit, dum ad altiora subsellia, ad pinguiora sacerdotia, ad sublimiora ecclesiarum fastigia, blanda, sed improba suggestionem, anhelare facit. Hoc autem, quid aliud est, quam miro illius serpentis astu, primas sedes in Christi regno, quod est ecclesia, cum Ioanne ambire? Verum hic affectus multus pro dolor! se- ducens, et praecipitans, magno animo a nobis repellendus est, sermonisque Christi memoria com- primendus. Nescimus enim quid petamus. Nescimus quam ardua periculosaque provincia sit, pro dignitate munus praestare apostolicum. Nescimus satanae cogitationes, cujus opera quamplurimi in pinnam templi eriguntur, ut cum majori ignominia et graviore lapsu praecipites ruant.

Ex hoc ambitionis fonte prodit vicinum aliud et exitiale malum. Nempe malignus zelus et invidia in confratres, et eos qui pari aut simili honore potiuntur contentio, ex qua pullulant odia, detractio- nes, murmurationes, fratrum contemptus, mutua contradicendi studia, controversiae de amplioris po- testatis jurisdictione, inanes et quasi pueriles aequandi, aut superandi fratrem, in scientiae, eloquen- tiae, potentiaeque ostentatione, conatus. Haec autem perniciosissima pestis longissime abesse debet a Christiano pastore, qui Christum audit dicentem: *Quicumque* (Matth. 20.) *voluerit inter vos major fieri, erit vester minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam in redemptionem pro multis*. Boni ergo et non inviden- tis pastoris vox est, cum Mose dicere: *Quis* (Num. 11.) *tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis dominus Spiritum suum?* et cum Paulo: *Quid enim* (Philip. 1.) *dum omnimodo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur? et in hoc gaudeo, sed et gaudebo*.

Peccatur item a pastoribus, qui ignem de caelo descendere faciunt, dum potestatem ab agno- mitissimo ad consolationem et aedificationem animarum acceptam, in tyrannidem convertunt, qua timeri magis ut principes, quam amari ut parentes volunt: qua dominari, quam ministrare, qua de- nique tonsores oviam, ne dicam deglubitores, magis esse quam pastores affectant. Vnde illae populi querelae, utinam non tam verae, quam miseratione dignae, quod oneribus opprimitur, facultatibus spoliatur, cordibus affligitur, et inopia verbi Dei cruciatur. Cum austeritate imperatur ei, et cum potentia, et ad quemvis undecumque quaesitum colorem gladius potestatis stringitur, et ad virgam cum gaudio venit: quam tamen Paulus non nisi cum magno animi dolore multisque lacrymis, exem- plo suo docet esse accipiendam. Dum enim Corinthios invitus punire cogitur, ita scribit: *Timeo ne iterum cum venero* (2. Cor. 12.) *humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui non egerunt poenitentiam, super immunditia, et fornicatione, et impudicitia quam gesserunt*.

Ultimo in Ioanne dormientes reprehenduntur pastores qui non vigilant super custodias gregis, qui cum sibi ipsis indulgent, et magna diligentia cultum corporis, ventris saturitatem, proventuum incre- menta, splendorem suppellectilis, principum favores curant, quasi gravissimo quodam somno oppressi, non vident, quod in agro sibi colendo a domino dispensato, inimicus homo superseminat zizania: non



advertunt quod oves a lupo disperguntur, rapiuntur, mactantur, devorantur: quod arietes non solum lateribus et humeris in mutuam exitium impingant, sed, quod admirandum est, cornuum rebellionem ipsos pastores petant. Vigilandum itaque vobis est, patres, et orationi vacandum, et divinam vocem, vos hodie adhortantem, ne ambitione pugnetis in Deum, invidia contendatis in pares, tyrannidem exerceatis in subditos, somnolentia indulgeatis vobis ipsis, benigne cum Ioanne suscipite: atque hos quatuor verissimos, et nocentissimos ecclesiae hostes, de medio templi Dei, ubi turpius et potentius regnant, et cum majori et multorum exitio, vestra auctoritate, vestrisque conciliis fugate, profligate, exterminate.

Sed quia non satis est ad digne fungendum apostolico munere, episcopum irreprehensibilem esse, nisi idem etiam omni virtutum genere sit ornatus: expendite jam qua ratione Ioannes in magnis, quibus quamplurimi insolescere et ruere solent, fuerit examinatus. Probatum enim a dextris, dum solus super domini pectus recumbit, dum tertius introducit ad suscitationem puellae; et in monte, Christi transformati splendidam lucidissimamque faciem cernit: dum cum aliis duobus ad hortum admittitur, et singularis Christo morienti adsistit. Haec sane maxima et ingentia in se sunt, sed mysteriis longe superiora. Nam quid aliud nobis hic super domini pectus recubitus significat, quam verum praelatum non habentem ubi caput reclinet, in solo Iesu pectore, atque in scripturis, quae illius purissimum et candidissimum pectus referunt, quasi in tutissimo nido, et tranquillissimo portu posse quiescere? a quo uno et cordis munditiam, et amoris fomenta, et animarum zelum, et divinae gloriae sitim, et doctrinam pascendi, et arcanorum reserationem, et mundi contemptum, et robur constanter patiendi haurire valeat.

Porro cum pastores in scripturis nomen illud amplissimum angelorum habeant, quorum est iuxta altissimam Dionysii Theologiam purgare inferiores, illuminare, atque perficere: sacerdos qui angelus domini exercituum est, in hoc se vocatum intelligat, ut plebem sibi commissam a scelerum sordibus et legis transgressionibus purget: et hoc est cum Ioanne puellae suscitationi adsistere. Etsi enim Christus solus sit, qui in peccatis mortuos ad vitam revocet: vult tamen ad sapientiam suam et benignitatem commendandam, praelatum adhibere, qui sacramenti ministerio in re alioqui altissima sibi cooperetur: in cuius rei typum, suscitato a se Lazaro, adstantibus ministris dixit; *solvite* (Ioan. 11.) *illum, et sinite abire*. Debet etiam se ad docendum in eo loco positum intelligere, ut cuncta fidei mysteria aperiat, et patefaciat, ut ad hunc modum suos verbo et scripturis illuminando, ostendat se Christi gloriam in monte vidisse, et magnificam illam vocem et de nube delapsam, de Christi mysteriis et excellentia instrumentem audivisse.

Denique ad eum spectat, solidiorem cibum suis jam mundatis atque instructis proponere, et ad perfectionis arcem eos adhortari, quae maxime in patientia, quae opus perfectum habet, consistit. Unde perfectorum est illa vox: *Non solum autem, sed et gloriamur* (Rom. 5.) *in tribulationibus*. Hoc ergo Ioannis et sui ordinis virorum est, durare in persecutionibus, et ad tolerantiam passionis, et crucis Christi imitationem suo exemplo inferiores permovere.

Verum postea quam dominus suos probavit, illosque fideles invenit, supra longe maiora constituere consuevit. Hinc est, quod fidelissimo Ioanni pretiosissimum [et ingentem thesaurum vicinus] morti de cruce committit, nempe matrem. Cujus adventum tam ardentibus desideriis patres sitierunt, cujus praesentia exultat caelum, cujus nomen veretur infernus, cujus patrocinio fulcitur ecclesia, cujus memoria recreantur iusti, et animantur peccatores. Committit, inquam, illi matrem, ut et vices Ioseph, ut creditur, jam defuncti, in custodia, obsequio, solatioque suppleret, et se illi in filium amantem, obsequentem, reverentem, illique opportune subvenientem, loco sui exhiberet. Quod tam singulare beneficium ille agnoscens, ex illa hora ad Christi imperium accepit illam in suam. Vobis etiam, patres, de cruce commissa est ecclesia, quam sanguine suo, sanguine, inquam, suo dominus acquisivit, et nisi vos surdos Christi voci et imperio exhibeatis, debet unusquisque vestrum illam in suam accipere, quam faceret obsequentissimus filius erga carissimam matrem.

Quod si semper necessarium fuit affectus et opera filiorum ecclesiae impendere, nunc profecto nostri temporis ratio vehementer postulare videtur. Quando enim Christi ecclesia gravioribus odiis, magisque inveteratis impugnata fuit? aut quando plures hostes in suam perniciem magis juratos atque devotos perpessa fuit? Nam et multi ex his, qui pro ea stare videntur, illiusque dilectionem profitentur, non sincere et pure, sed ob emolumenta temporalia, ob honores, ob carnis commoda diligunt. Quando majori aut magis obstinata rebellionem pugnatum est in eam, quam his nostris in-

felicissimis temporibus? quibus nescio si unquam fuerunt infeliciores. Nam divinae leges perfricta fronte invertuntur, humana jura a sciolis quibusdam impudenti audacia abrogantur. Petri sedes antichristi regnum vocatur, sacrosancta conciliorum auctoritas vilipenditur, sanctorum patrum doctrina conculcatur, ut judices illos in illam iniquorum vocem conspirasse: *Dirumpamus (Psal. 1.) vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum*. Quando honori ecclesiae magis fuit detractum? nam a multis filiis irreverenter contemnitur, gravissimis verborum injuriis caeditur, dentatis et satyricis calamis in eam scribitur: denique improbis et nefariis factis in ejus excidium undique curritur. Quando tandem magis a filiis suis, non solum non debitis subsidiis adjuta, sed etiam suis bonis spoliata fuit, quam deploranda hac nostra tempestate?

Quae tanta flagitia et sacrilegia ab Aquilone, unde panditur omne malum, in eam commissa narrat, ut ea vobis commemorare, non nisi cum magno animi dolore et horrore, valeam. Nempe ecclesiarum bona direpta, templa solo aequata, monasteria, non solum suis proventibus et incolis destituta, sed etiam funditus eversa: sacerdotes Christi exhibitos, Deo dicatas virgines sub specie matrimonii constupratas, colendas divorum imagines rejectas, venerandos martyrum cineres contemptos, sacrosanctum eucharistiae sacramentum, tanto saeculorum consensu firmatum, plusquam satanico ausu explosum atque conculcatum. Et tam late pervagatum est hoc incendium, ut nullus fere in ecclesia Dei angulus intactus immunisque relictus sit. Ubi enim nunc inter eos qui catholici dicuntur, germanus ille populorum ad suos pastores amor? quos non secus ac lupos, ac tyrannos horrent et aversantur. Ubi inferiorum obedientia? qui passim ac libere majoribus objectant: *Medice, cura te ipsum: qui sine peccato est vestrum, primus in nos lapidem mittat: Amice, ejice primum (Matth. 7.) trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo nostro*. Ubi sacerdotii reverentia? usque adeo enim degeneravimus, ut facti simus in derisum omni populo, canticum illorum tota die. Ubi prompta illa et propensa plebium voluntas? quae seipsas spoliabant, ut Christi ecclesias fundarent, ornarent, amplificarent. Periiit profecto, periiit.

Quare nimirum impossibile, est quae a majoribus vestris in sudoribus, in vigiliis, in jejuniis atque lacrymis parata sunt, ea nunc in deliciis, in somnolentia, in crapulis, in luxu, atque pompa conservari. Doleo, patres, talem vobis ecclesiae faciem describere, sed cogit me justus zelus, et observantia, quam erga vos gero, ita loqui desiderantem, ut nisi de ecclesia actum esse velitis, ecclesiam ipsam in matrem accipiatis, sicut Ioannes matrem domini accepit in suam. Accipit, inquam, in suam, non in novercam, aut inimicam, ut haeretici et schismatici faciunt, qui et aperto Marte, et secretis cuniculis ejus excidium moliantur: non in servam aut ancillam, ut ii faciunt qui duro jugo, minis, imperio, virga ferrea, tyrannico terrore illam miserabiliter opprimunt: non in pellicem, ut ii qui fornicario complexu illi copulantur; quales sunt, qui tantum quae sua sunt quaerentes, dignitates ecclesiasticas venantur: qui quid sit esse pastorem, ignorantes, apostolicum officium in his rebus externis situm esse putant, quibus improbi abundant, quibus latrones sunt divites, tyranni sunt formidabiles. Accipienda est ergo in venerandam matrem, in legitimam sponsam, cui sincerus amor debitum honorem atque opportuna subsidia pariens, propter Christum prompte et hilariter est exhibendus.

Quamobrem hic sinem dicendi facio, si prius vos ut patres mihi observandissimos obsecraverim obtestatusque fuerim, ut in ipsum Ioannem, quem in exemplar perfectissimum, et ut aquilam advolandum provocantem, vobis proposuimus, oculos vestros defigatis, exempla virtutum, quibus episcopi eminere debent, ab eo petentes. Si ergo ille puellae suscitandae adsistit, si in montem ascendit, si ad vigilandum et orandum in horto recipitur: ita et vos memores estote vocationis vestrae, ut sitis bonus odor Christi in omni loco, et quantum in vobis est, odor vitae in vitam, non mortis in mortem. Ascendite (*Isa. 40.*) in montem excelsum vos qui evangelizatis Sion: exaltate in fortitudine vocem vestram, eurate, ut qui non sapiunt, sapiant; et qui sapiunt, non desipiant: et qui desipiunt, resipiscant. Vigilate, attendentes vobis et universo gregi, tamquam rationem severissimam de illo reddituri incorruptissimo atque inexorabili iudici, sanguinemque ovium perditarum de manu spiculatoris requirenti. Orate ut vigilantibus vobis, Christus vires addat, ut possitis cum ejus digito omnia adversa vincentes, quod gloriosissimum est et vere apostolicum, in tribulationibus pro ecclesia toleratis gloriari. Si tandem in fidem Ioannis traditur mater de cruce, ad hunc modum reputate sacrosanctae synodo per Spiritum sanctum commissam esse ecclesiam, ut illam nunc moerentem, et Christum quasi de novo in suis crucifixum cum dolore et luctu spectantem, in matrem vestram accipiatis; ut jacentem auctoritatis vestrae brachiis erigatis; nutantem sincera fi-

dei et dogmatum doctrina; tamquam firmissimae columnae fulciatis; ut ei egenti, subsidio sanctorum canonum, quibus collapsa reparentur, obliqua dirigantur, deformiaque refoventur, subvenialis; denique ut ei jugem vestram praesentiam atque operam exhibentes, hactenus pastoribus suis destitutam consolari, atque confortare possitis. Dixi.

IV.

DISCURSO DE JUAN BAUTISTA CAMPEGIO.

NATURAL DE BOLOGNA Y OBISPO DE MALLORCA, TENIDO ANTE EL CONCILIO DE TRENTO.

Acerca de la defensa de la religion (a).

Quod erat optandum, sanctissimi patres, et quod unum ad teterrimam pestem, per totum terrarum orbem diutius pervagatam, nec non ad invidiam nostri ordinis infamiamque sedandam maxime pertinebat: id, divino primum consilio, deinde summi pontificis, summique imperatoris pietate, studio, ac diligentia, datum atque oblatum videtur. Etenim pestifer ille serpens, cujus veneno tampridem tota fere Germania infecta erat, Britannia contabuerat; jam Italiam versus caeterasque Christianas provincias, et nationes paulatim alas expanderat, ac bonam populi partem contagioso aspectu perniciosoque afflatu impune tabefecerat. Nos vero, qui populorum pastores, qui religionis propugnacula, qui reip. Christianae firmamenta, quique adeo terrarum orbis lumina splendoresque habebamur: hactenus impietati ludibrio fuimus, nec pietatis offensionem omnem vitavimus. Inveteravit enim jam, et penitus in mentibus hominum insedit opinio, populis quidem perniciose, nobis vero admodum, quae per universum fere orbem, omnium Christianorum sermone percrebuit, episcopos, atque pastores, non ut pastores jam, sed ut mercenarios, mercēdem tantum spectare, sibi cavere, sua procurare, caetera negligere; irrumpant licet lupi, grassentur per ovile, necent, auferant, dum sibi cautum sit, pastores nihil ultra quaerere, ne tantillum quidem oneris subire, si genium vel minima voluptatis parte sint defraudaturi.

Quae sane voces, aliaque hujusmodi, ulinam patres, ut falso, et a perditis passim hominibus jactabantur, ita in multorum animis locum ac sedem non obtinuissent. Etenim melius illi fortasse suae saluti consulissent, et nos, tanta apud bonos suspicione, apud improbos vero infamia, minime laboravisset. Dicant enim, quaeso, quantum temporis praetermissum est, ex quo hujusmodi pestis, ac flamma coepit hominum animos pervagari, quin summorum pontificum vigilantia, invictissimi imperatoris pietate, pluribus amplissimorum cardinalium legationibus, episcoporum labore ac diligentia illi, loco ac tempore, pro viribus non sit occursum. Ac ni optima principum consilia, gravis semper reipublicae fortuna interrupisset, quae illorum animos a coepto cursu, pulcherrimisque conatibus retardasset, et ad alias res primo quoque tempore capessendas revocasset: profecto talis morbus et incendium, eorum studio, virtute, ac procuratione penitus fuisset extinctum. Sed non plus illi omnes, quam una temporum perversitas, potuere.

Quarum rerum equidem multa, eaque praeclara testimonia, patres, adducerem; quibus scilicet pontificibus, quibus temporibus, quibus locis, et quoties fuerit congregata synodus, quod unum remedium tantis malis adhiberi posse videbatur, quoties rursus, bellis sive gerendis, sive impendentibus, aut aliis quibusdam difficultatibus, eadem interrupta sit, atque impedita: ni vererem orationem meam dilatare, quae infinita esse posset: atque etiam ut omnem prorsus occasionem in hac parte insolentius volitandi, ac insultandi vehementius devitem: praesertim cum vos ipsi, omnibus rerum omnium certissimi ac locupletissimi testes esse possitis. Non enim, ut caetera omittam, semel aut iterum, sed persaepe e variis orbis partibus, maximis vestrum rerumque vestrarum incommodis, ac periculis convenistis.

Nunc vero ipsius summi pontificis, piissimique imperatoris egregia voluntas, singularisque vir-

(a) Aunque no tiene fecha creemos que siguiendo el orden cronológico le corresponde este lugar.

tus, quibus non laudibus, quibusve honoribus decorandae videntur? qui cum statim restituta synodo, multae iterum tempestatum species, turbulentissimaeque armorum procellae toto propemodum orbe, terra marique excitatae consurgerent, omnibus pro Christi ecclesia fluctuante pro nihilo habilis, frequentem illam religionis rem tractare, hoc agere, ad hoc tantum negotium incumbere, et volunt, ut par est, et jubent. Quippe eo rabies haereticorum evasit, ut, nisi illis saltem hoc tempore obviam iretur, omnia ab eorum profanis latratibus, venenatisque morsibus discerpta fuissent, ac lacerata.

Venit igitur, patres, tempus jamdiu nobis expectatum atque exoptatum, et populo Christiano illuxit aliquando illa dies, de qua in orationis initio dixeram, et in qua, divino freti praesidio, et horum ipsorum principum auspiciis, studio ac diligentia hostes confundere, scissa dogmata resarcire, periclitanti ecclesiae opem ferre, ejusdem auctoritatem prope intermortuam renovare, susceptam nobis maculam falso improborum judicio delere, existimationem nostram jampridem amissam gentibus et nationibus reconciliare, et errantes, lapsos, ac denique fractos et debilitatos piorum animos monere, erigere, et confirmare plane valeamus. Non est enim amplius, non est metuendum, mihi credite, patres, qui ea, quae hujusmodi temporibus, rebus omnibus omissis, tam forti, tamque alacri animo coepta sunt, per admirabilem prudentiam, conjunctosque eorundem principum animos et voluntates, ad pulcherrimum exitum non perducantur; praesertim si illorum studium et diligentiam, vestra vigilantia, quemadmodum facilis, perpetua comes et socia consequatur.

Quae quo pacto ad has res, et hoc potissimum tempore sit adhibenda, paucis expediam, non quo, patres, id vos ignorare arbitrer: neminem enim in hoc gravissimo pariter et sanctissimo consensu adesse intelligo, cujus summam prudentiam, et conjunctam cum pietate sapientiam non admirer: sed quoniam id mihi operis impositum est, ut ex hoc loco apud ornatissimos, eosdemque doctissimos viros, verba faciam. Quod etsi longe vires meas exuperare sentio, tum propter rei magnitudinem, et hujus auctoritatem loci, tum etiam propter imbecillitatem ingenii, et nullam prorsus ad agendum facultatem; cum mihi ipsi semper persuaserim nihil huc, nisi perfectum ingenio, atque elaboratum industria afferri oportere: tamen ne id quod semel suscepi, propter animi infirmitatem videar omnino deponere, expectationemque vestram oratione mea diutius suspensam tenere, de hac eadem vigilantia pauca et breviter dicere aggrediar; cum nullum aliud argumentum in mentem venire potuerit, quod pro loci, temporis, personarumque dignitate, commodius a me possit tractari. Quae dum persequor, quaeso vos, amplissimi patres, pro humanitate vestra, quae summa est, ut quemadmodum hactenus fecistis, me benigne attenteque audiat.

Equidem, patres, cum universam rem animo complector, onusque nostrum mecum diligentius ipse considero, non eadem mihi videtur nostra, ac caeterorum principum ratio. Quamvis enim unaquaeque potestas, ut ait apostolus, a Deo sit constituta: non tamen omnes in eadem arena versamur. Illi enim terrena, nos caelestia; illi fluxas, et momentaneas, nos stabiles et sempiternas opes; illi corporum, nos animorum salutem; illi denique parum fortasse, nos maxime necessaria populis procuramus. Elaborandum est igitur, patres, et ex eo omnes industriae nostrae nervi sunt adhibendi, quod in primis praestare debemus, ut quanto uberiora, splendidiora, Deoque optimo maximo gratiora caeteris omnibus sunt haec, tanto majori cum diligentia hoc tempore, hoc, inquam, tempore peropportuno, et maxime omnium necessario, a nobis rite atque integre administrentur. Etenim si illa iis artibus facile retinentur, quibus initio parta sunt; sunt autem parta multorum hominum studiis et laboribus: quid de his existimandum est, patres, quae unius tantum et Dei et hominis nocturnis diurnisque vigiliis, immensis sudoribus et cruciatibus, atque adeo preciosissimo sanguine de saevissimi hostis manibus sunt extorta?

Illud praeterea, patres, in mentem venit, principes ipsos partis opibus et imperiis, et caesis ac fugatis hostibus, omnia pacata, omnia tranquilla possideri; moenibus praeterea praesidiisque circummunitos neminem amplius formidare. Nobis vero infirmis atque imbecillis, et cum hoste munitissimo ac sempiterno dimicantibus, semper in stationibus, in excubiis, in armis, in laboribus degendum est: ne leo ille rugiens, qui semper circuit, semper explorat, semper aliqua in incautos excogitat stratagemata, ovem aliquam, non auro, neque argento, sed, ut paulo ante dicebam, preciosissimo sanguine redemptam, devoret.

Illud etiam, patres, praee oculis semper habendum censeo, nos esse a Deo constitutos terrae salem, mundi lumina, civitates supra montem positas, atque in omnium conspectu, in omnium ore versari; abolito sale, omnia insipida remanere, extincta luce, statim tenebras oboriri; ruente civitate,

caeteras opes in eandem ruinam trahi. Patiemur igitur, patres, Dei ecclesiam, Christi sponsam, Spiritus sancti domicilium, apostolorum aedificium, communem matrem, tanto excidio, oscitantia nostra desidiaque, corruere? Absit, patres, ut talentum illud nostrae fidei abeunte domino commissum, terra inutiliter abditum, nostra pereat socordia, ne redeunte domino, et rationem ab oscitantibus exposcente, in exteriores tenebras conjiciamur. Ethnicus ille poeta, patres, dum universae Graeciae imperatorem pro una muliere, et eadem adultera, bellum gerentem inducit, figmentis quibusdam admonet, illi, cujus consilio omnia nituntur, et cui totius exercitus salus commissa est, semper esse vigilandum. Nos autem, quibus verum illud, atque divinum oraculum perpetuam pollicetur beatitudinem, si, ut frugi servos decet, etsi prima, etsi secunda vigilia venerit dominus, invenerit vigilantes: his temporibus bellum pro aris et focis gerendo dormiemus? aut muliercularum more compressis manibus totum diem sedentes otiamur? minime, patres, minime inquam: at illud potius meminerimus, hunc illum nobis peroptatum illuxisse diem, quo, si viri erimus, et plane viri, sicut esse debemus, sublata humeris cruce, Christi sanguine insigniti, fidei lorica induti, ac sanae doctrinae gladio praecinoti, ejus ecclesiae nos acerrimos propugnatores habeamus, ut demum victis, ac spoliatis hostibus, non Jovis, sed veri Dei templa, non Romana, sed caelestia capitolia triumphantes ascendere valeamus.

Nitendum est etiam, patres, in quo vigilandum, laborandum, sudandum omnino nobis est, si vigilantissimi pastoris officium atque partes omnes suslinere volumus, ut patientiam, perseverantiam, animi magnitudinem, et caritatem supremi pastoris, qui se nobis, tanquam speciosissimum exemplar semper, et in singulis quibusque actionibus imitandum proposuit, quoad ejus fieri possit, imitemur. Quod etsi arduum, et longe omnium difficillimum est: tamen in rebus praeclarissimis et humanas vires excedentibus, prima sequendo, semper honestissimum fuit, et habitum est, in secundis, tertiisque consistere: id quod nobis, eo praesertim auspici et adjutore, poterit aliqua ex parte contingere, si pro Dei gloria, et populorum salute conservanda, ipsius vestigiis insistentes, vitam ipsam et sanguinem, nedum caetera omnia, cum usus venerit, profundere non dubitaverimus: si praesertim hoc tempore, rebus omnibus confusis ac perturbatis, et ventis quibusdam reflantibus, animo non defecerimus, sed in Christi causa defendenda, quantum in nobis fuerit, perstiterimus. Quam si per ipsorum temporum, vel hominum quorundam malitiam, tueri non dabitur; opprimi nos onere officii potius eligamus, quam tam piam, tam sanctam, tam salutarem, tam illustrem provinciam sustinendam, nobis impositam, et alias quidem saepe sustentatam, aut propter perfidiam abjicere, aut propter ignaviam deserere. Si demum nostra consilia et cogitationes omnes, ad augendam religionem, moresque instaurandos retulerimus, et in mediis tenebris fluctibus, ac tempestatibus, in Christum semper, tanquam in cynosuram, intuiti fuerimus; quicquid deinde evenerit, forti, constantique animo toleraturi, et nobiscum praeclarissime actum existimaturi, si digni habiti fuerimus pro Christi gloria probra et contumelias pati.

Haec est illa patientia, quam veri imitatores Christi, tanquam munitissimum clypeum contra quoscumque mundi ictus objicere consueverunt; haec illa perseverantia, quae a nobis exigitur, et quam rerum praesens status, et temporum ratio maxime requirit; haec animi altitudo est, et tranquillitas, quae in Christianis hominibus, et potissimum in episcopis, inesse debet; haec denique est illa caeterarum omnium virtutum regina caritas, quam nobis Christus servator noster caelos ascensus veluti ex testamento reliquit, maximeque omnium commendavit.

Aegrotat, patres, totum reipublicae corpus, et eo genere morbi, ac gravitate, mihi credite, aegrotat, ut nisi in medicinis faciendis peritia et diligentia vestra maxime apparuerit, ejus salus in maximum periculum, et extremum pene discrimen, sit adducta. Omnia enim, quae pro illius incolumitate, conservatione, ac salute, summa praepotentis Dei nostri benignitate illi data ac donata sunt, ab istis novis atque eruditis magistris aut omnino tolluntur, aut pro maxime dubiis relinquuntur; ita ut veritati vanitas, medicinae venenum, rebus salutatibus mortifera omnia plane successisse videantur. Tanta, pro dolor! mentibus humanis per eosdem offusa est caligo. Et quidem caeteris istorum vitiis ac peccatis ita moveor, ut ea reprehendenda tantum existimem: hic vero tanto dolore afficio, ut non queam satis, neque miseram temporum nostrorum conditionem deplorare, neque hujus negotii, quod tractamus, rationem fortunamque miserari.

Sed omittamus querelas, ne oratio nostra ab eo, quod instituimus, aliena esse videatur: et illuc revertamur, ut diligenter attendamus qua cura, quo studio, quanto animi fervore in eam provinciam nobis incumbendum sit, in qua praecipue de animabus agitur, nec illis quidem paucis, sed de his

omnibus, quae in toto terrarum orbe et sunt, et in posterum sunt futurae, pro quibus Christus ipse Deus et homo, mori, et extrema quaeque supplicia pati voluit: a cuius quidem praesidio cum ipsae discedunt, vos proximos habent, vos sibi propugnacula, vos munimenta, vos duces, vos milites, vos patres, vos pene Deos reputant. Quod si nos orarent, atque obsecrarent, ut suis incommodis, necessitatibus, saluti denique in tanta praesertim rerum omnium suarum perturbatione, ne dicam desperatione, consuleremus: quid aut illis honeste respondere possemus, aut pro earum miseriis sive tollendis, sive sublevandis facere, nisi ut nos fidemque nostram implorent? Adsunt, et implorant: neque solum implorant? verum etiam vehementer efflagitant.

Fingite cogitationibus vestris, liberae enim sunt cogitationes nostrae, eas hic sordidatas adesse, nosque veluti suorum ulcerum, atque aegritudinum medicos et curatores peritissimos huc adductos intueri, et saepe ac saepius appellare; summoque et incredibili pene desiderio teneri progressum atque exitum hujus concilii videndi, in quo uno totam spem suae salutis atque incolumitatis positam et collocatam esse intelligunt. Possumus, amplissimi patres, illis egregie admodum operam nostram navare, possumus: omnia enim quae ad hanc rem spectare videntur, prompta sunt et parata; tempus, locus, patrum frequentia, principum fere omnium unanimis consensus praesto nobis sunt, neque ullum auxilium adventitium expectandum amplius, aut expetendum videtur. Quod si a vobis destuantur, id quod vix in mentem cujusquam venire, aut cadere potest: quo infelices confugiant, quemve portum suae miserae atque jaclatae fortunae huc atque illuc fluctuantes invenire possint, aut quo se vertant, amplius non habent: nullumque periculum adeo grave inveniri, aut excogitari poterit, ad quod, tanquam ad scopulum, eas detrudi aliquando non sit necesse.

Quare perpetua illa vigilantia, quam civitatibus, quibus praefecti estis, debetis, facite, patres, ut hoc polissimum tempore toti terrarum orbi illucescat; perficite, ut quam de vobis Christiani homines conceperunt, non eos frustretur opinio: mementote etiam, et saepe ac saepius in mentes vestras revocate, quae praemia vivo Dei omnipotentis oraculo Christum intrepide confitentibus sint statuta: quaeve rursus eos supplicia maneant, qui vel opes, vel gloriam, vel propriam salutem, sacrosancto illius nomini anteponant. Sit clarum illud Nicaenum concilium, patres, quo horrenda Arianorum rabies sedata est: ornetur eximia laude Constantinopolitanum, quo impia Macedonicorum sententia fuit damnata: habeatur egregium Ephesinum, quod ingentem Nestorianorum flammam extinxit: anteponatur his Calchedonense, quo pertinax Eutylianorum perversitas est debellata: caetera item in aeterna gloria sint, quibus diversae diversis temporibus oborientes haereses, sunt radicitus extirpatae. Erit profecto inter horum laudes aliquid loci vestrae gloriae, si non unam, aut alteram, sed tot ac tantas recentium haereticorum haereses atque monstra, vestris sanctissimis decretis tanquam fortibus et fulgentibus armis, de medio funditus sustuleritis: quanquam omnis honor et gloria principi, atque omnium honorum auctori Deo, sit tribuenda qui per vos ecclesiae suae consultum esse voluerit.

Quae cum ita sint, patres, primum totius reipublicae Christianae causa, qua secundum Deum nulla res cuiquam potior esse debet: deinde pro vestra summa et nobis cognita pietate; pro mea item, quam commanem vobiscum habeo, auctoritate vos hortor, pro magnitudine imminentis periculi obtestor, ut otio, ut paci, ut omnium saluti consulatis, atque ea in praesenti futurisque consensibus Spiritus sancti favore diligenter, ut instituistis, et fortiter decernatis, quae vobis honesta, reipublicae salutaria, Deo optimo maximo gloriosa sint futura.

Te vero, beatissime Paule, te inquam sapientissimum, et singulari quadam electione electum apostolum appello: id quod tacito quodam animi sensu, et cogitatione universa haec sacrosancta synodus facit: atque ego illius nomine supplex, humique postratus, quanta maxima possum animi et vocis contentione abs te peto, et flagito, ut quemadmodum hujusmodi die admirabili, atque extraordinaria Dei virtute, et misericordia effectum est, ut ex Saulo Paulus, ex impio pius, ex atrocissimo Christiani nominis hoste acerrimus ejusdem propugnator et propagator evaderes; ita piissimis tuis, efficacissimisque precibus hodierna die, atque hoc ipso temporis puncto, quo loquor, eadem plane virtutem, et misericordiam omnibus rebellibus, obstinatis, atque in suis pravis opinionibus et haeresibus obfirmatis animis impetrare contendas: quandoquidem ea omnia, quae humana ratione et sapientia inveniri aut excogitari hactenus potuerunt, nihil, aut certe parum admodum profecere. Quod si per te impetratum fuerit, non tu quidem beator eris, et sanctior; neque enim esse potes, qui nunc es et beatissimus, et sanctissimus: sed certe nomen tuum illustrius et majori quadam celebritate quam antea in omnium gentium ac populorum sermonibus et men-

ibus semper haerebit: siquidem ex tali beneficio non minorem utilitatem universus orbis sentiet ac percipiet, quam olim, dum in terris pro Christo legatione fungereris, ex tuis gravibus ac vehementibus concionibus idem senserit atque perceperit: nisi forte majus sit populis patefacere viam ad felicitatem, quam curare, ut qui a vera religione defecerint, rursus resipiscant, et in rectam salutis semitam revertantur. Hoc iterum abs te, non sua commoda procurantes, non privatas injurias ulcisci quaerentes, non regni, aut alicujus potentiae appetentes, postulant; sed hi qui laudem, ac gloriam Dei tuendam, et conservandam susceperunt; hi qui rerum omnium sibi carissimarum obliti, maria et terras, ad tui exemplum difficillimis temporibus pertranseunt, huc religionis constituendae gratia confluxere; hi denique qui nihil aliud cogitant, nihil agunt, nihil moliuntur, nihil magis habent, quam ut idem sentiant omnes, idem dicant, idem velint, ac inter ipsos nullum prorsus schisma reperiatur; ita ut caritatem maxime amplexantes, et in vera fide ac religione, ea qua decet pietate ac constantia, perseverantes, tandem in Christo, cum Christo, et per Christum in die Domini salvi fiant. Dixi.

V.

DISCURSO DEL DOCTOR PEDRO FRAGO.

NATURAL DE UNCASTILLO, PRONUNCIADO ANTE LOS PP. TRIDENTINOS EL DIA DE LA ASCENSION DEL SEÑOR, 7 DE MAYO DE 1551, SOBRE EL TESTO DEL EYANGELIO PROPIO DE ESTA FESTIVIDAD.

Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus. (Marc 16.)

Verum illud planeque compertum experiri soleo, illustrissimi ac reverendissimi praesules, pastores vigilantissimi, vosque eruditissimi viri, quod Christus redemptor noster, nosterque institutor nostrae nos imbecillitatis paternae admonens, discipulis suis, nobisque sub eorum persona non obscure loquitur, nihil nos sine (*Ioan. 15.*) eo posse facere. Unde et Paulus electionis (*Cor. 3.*) vas negat prorsum sufficientes esse nos, non dico facere, ut in evangelio legimus, sed ne cogitare quidem aliquid a nobis quasi ex nobis; quod sufficientia nostra universa non aliunde sit, quam (*Iac. 1.*) a patre luminum, unde omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit et proficiscitur. Eoque meae conscius infirmitatis et imperitiae, quum difficillimam hanc, et omnino imparem meis viribus provinciam, magnoque convicio obtrusam evitare non potuerim: nescio profecto, patres amplissimi, quo me tandem vertam. Non enim mediocriter perturbor dum hujus auctoritatem loci contingo, qui non nisi eruditissimo cuique, et ad dicendum exercitatissimo patere solet.

Nisi forte supplex ego ad te domine Iesu aeternum patris lumen, et virtus in densissimis hisce inscitiae meae tenebris, meaque hac trepidatione confugiam. Qui humani generis misertus *habituque* (*Philip. 2.*) *inventus ut homo*, ut hominem natura irae filium ex crudelissimis daemonum faucibus eriperes, caecis visum, claudis ingressum, aegrotis salutem, mutis denique loquendi facultatem restitueris. Quique eligens infirma (*Cor. 1.*) mundi, ut fortia quaeque confundas. Mosen (*Exod. 4.*) balbum, Hieremiam puerum, rusticos (*Hiere. 1.*) et piscatores infusa divinitus sapientia instruxisti et cumulasti, obtrusum os meum (*Ioan. 20.*) aperire, et implere, raptoque ex altari divinitatis tuae calculo polluta labia mea mundare digneris, ut nonnihil de sacratissimo ascensionis tuae ad patrem tuum et patrem nostrum mysterio, in honorem tuum, nostramque utilitatem commemorare possim.

Ceterum quoniam nequissimus servus dominum, imbecillimus omnipotentem, peccator justum, reus judicem adire non audeo. Agedum advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et quae venenosae ac pestiferae serpentis caput, illatam humano generi (*Genef. 3.*) injuriam ulta, contrivisti, ad Dei hominumque mediatorem primogenitum (*1. Tim. 2.*) tuum mediatoris officio et ipsa fungitor, ut sacrosanctum hoc concilium, unde universa reipublicae Christianae salus et restitutio dendet, dirigere, mentesque omnium cum nostras, tum eorum, qui ad haereses et schismata, quae nostra (malum) per tot annos videt aetas, daemonis fascino conversi, a veritate auditum avertunt,

illustrare velit, ut et vos patres sanctissimi salutaria hisce nutantis ecclesiae temporibus consilia ineatis; et illi patefactis capitalissimi hostis insidiis, ad veritatis agnitionem revertantur. Atque ut commodius id et facilius exoremus, defixis humi genibus angelicam beatissimae virgini salutationem de more offeramus, *Ave Maria gratia plena, etc.*

Interim vero ut brevius, minoreque cum molestia vestra id quicquid est peragi possit, patres amplissimi, decantatum in sacro faciundo evangelium jam pronunciabo: et quoniam in eo evolvendo atque explicando utilia fortasse nonnulla, minimeque ingrata adferentur, oro vos per ascendentem hodie redemptorem nostrum, ut dum ea paucis percurro, et me attente audialis, et solita vestra humanitate et benevolentia sublevetis.

In illo tempore (Marc. 6.) recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Iesus, etc.

Apparuit, inquit. Agedum, quisnam qui apparuit? Is nempe qui coaeternus est patri ac (licet crepet Arrius) consubstantialis, per quem et facta sunt saecula: is, qui hominem singulari beneficio ad imaginem (*Hebr. 1. Genes. 1. Genes 7. 1. Pet. 3.*) similitudinemque suam facto, contaminatum nefariis sceleribus orbem, exceptis octo, quos mystica tuebatur navis, cataclysmo absumpsit, et quadam veluti baptisimi figura expurgavit: Is, qui Abrahamo amico suo, oblato circumcisionis signaculo promisit, in ejus semine omnes gentes (*Genes. 21. Genes. 37.*) benedictum iri: Is, cujus admirabili dispensatione castus ille et pius somniator Ismaelitis in Ægyptum divenditus atque abductus: ut per eum innocentissimus pater, et illi ipsi nefarii sceleris auctores conservarentur. Is, qui populum suum in alieno solo tot saecula protexit, eundemque afflictum per tot prodigia et portenta ex iniquissima servitute asseruit: quem in summa deserti penuria manna (*Exod. 14. Exod. 16. Exod. 20.*) caelitus mirabiliter demisso, et jucundissimis aquarum fluentis, quasi melle de petra saturavit, traditaque in Sinaeo monte lege, in terram promisionis melle ac lacte manentem, exactis inde habitatoribus introduxit. Sed quid ego haec tam vetera commemoro? Is patres gravissimi, is inquam est, qui dissipata jam lege, sceptroque ex tribu Iuda, et duce de femore (*Genes. 49.*) ejus ablato, a patriarchis prophetisque tantopere expetitus, plenitudine temporis adveniente missus a patre, et apud patrem perpetuo manens, factus est ex muliere, factus sub lege ut eos qui sub lege essent, redimeret: ut adoptionem filiorum (*Galat. 4.*) reciperemus.

Quin ut suo nos exemplo humilitatem virtutum omnium parentem doceret, orbis caelorumque fabricator, portans (*Hebr. 1. Luca. 2.*) omnia verbo virtutis suae, locum sibi in diversorio deesse voluit, ut in praesepio nasceretur. Hic primum exortus justitiae sol mundo apparuit. Hic nobis primitias sui sanguinis in circumcisione fudit. Hic suo nobis baptismo ditavit (a) aquas, et sanctificavit. Hic nobis jejunavit atque esurivit. Hic dum seminat semen suum, nostramque salutem architectatur, et Samaritanus per summam blasphemiam audit, et quasi daemonium (*Ioannis. 8.*) habens, exagitur. Quid de ludibriis, quid de verberibus? Quid de sputis colaphisque commemorem? quibus nostra ipse causa patienter toleratis, in cruce universo orbi clavis suffixus sublimis apparuit, ut qui serpentinis vel afflatibus, vel morsibus essemus icti, eo conspecto misericorditer sanaremur. Unde et mortem pro nobis, mortem crucis (*Philip 2*) subiit, ut ab inimico capti et irretiti, qui primi parentis nostraque offensione et casu exultabat, saluberrima Christi morte ex ejus laqueis elaberemur. Is igitur, patres amplissimi, recumbentibus undecim discipulis apparuit. Qui quidem magnam profecto spem nobis excitavit, se iis qui orationi et caritatis officio operam navent affuturum, qui cibum sumentibus, atque etiam incredulis tam officiose apparuerit. Novit siquidem figmentum ipse nostrum, et quum irascitur, misericordiae recordatur. Non enim habemus pontificem, qui non possit (*Hebr. 4.*) *compati infirmitatibus nostris, probatum per omnia, pro similitudine, absque peccato.* Tolle siquidem delicti maculam, in cujus ore nec dolus, nec doli suspicio inventa est, cetera iisdem quibus primus parens incommodis fuit expositus. Quin ne ea quidem ipsorum incredulitas esse nobis potest infructuosa. Nam et Thomas sua illa (*Io. 20.*) pertinaci trepidaque haesitatione inflictorum cicatrices vulnerum atrectavit, et eadem opera omnem nobis dubitationis nebulam occasionemque discussit. Optime siquidem nostris et perturbationibus et periculis est consultum, quae postea exorirentur. quod adversus occultos daemonum insultus, impiorum calumnias, et terrenae argumenta sapientiae eorum ipsorum, qui ad credendum fuerunt cunctantiores, et aspectus nos instruat, erudiat auditus, et attractus confirmet. Adeo, ut (juxta Leonem) dubitatum sit ab illis, ne nos ipsi dubitaremus. Unde D. Gregorius multo amplius immodica Thomae apostoli dubitatione,

(a) Tertullian. contra Iud. et August. ser. 1 de Epiphan. domini.

quam prona et facili Magdalenae (*Ioan. 20.*) credulitate se adjutum profitetur et affirmat.

Neminem interim offendat, si redemptor noster a suis jam jam (*Marci. 6*) digressurus, non modo non eos consoletur, verum etiam reprehendat et increpet, quum ceteroqui et regere dictis afflictos discipulorum animos, et plena moeroris pectora mulcere esset opus. Nam praeterquam quod id magna illa ad credendum hebetudo et tarditas postulabat, altius certe ac tenacius ea erant, praesertim tam necessaria, eorum mentibus inhaesura, quae in suo suis magister abitu inculcarent. Mirabile tamen dictu, reprehenduntur vehementius et increpantur: at, nulla ne minima quidem vel indignationis vox, vel significatio intelligitur; correctionis autem tanta, ut quum paulo ante trepide et diffidenter dominum comitarentur, vel potius ingrattissime timidissimeque desererent, nihil fuerit illis in posterum optabilius, nihil gloriosius, quam in eo jam corporaliter absente, pro ejus nomine ac fide tuenda et contumelias, et extrema paterentur.

Decerpamus obsecro fructum (*Act. 5.*) ex illustri hoc pie moderationis exemplo, commodum nobis et salutarem, ut ea in universos quidem, erga eos tamen potissimum utamur, cum vel solo vultu (ut ille ait) laedatur pietas, qui suscepta salutis nostrae cura et sollicitudine, constituti a Spiritu sancto, episcopi, et Christi vicarii, nullos non labores et aerumnas (*Act. 10.*) pro animabus nostris tolerant, attentissime vigilant.

Aversemur autem, et detestemur Cainum, Saulem, Ahabum, Simonem, Arium, Lutherum, reliquosque id genus superbientis, ac Deo etiam se aequantis Luciferi discipulos: quibus nefaria animi pravitate, contumacia pro poenitentia ex scelere oritur: hinc peccata peccatis cumulantes recta in praeceptoris sui barathrum praecipitantur, et ruunt. Praesertim quum patres amplissimi (sicuti et ethnicus ille ait) solo vultu laedatur pietas. Unde namque innumerabiles hae calamitates et incommoda in rempublicam Christianam invecta? Unde superseminata creverunt zizania? Undenam haereses pullularunt, quam ex praesulum et magistratum contemptu et negligentia? O tempora, o calamitosam Christianae reipublicae conditionem, et miserabilem rerum faciem. Audent hic nequissimi homines, ac suae salutis prodigi veluti Cham, patris negligentius dormientis (*Genes. 9.*) pudenda detegere, et quasi jus in suarum animarum patentes habeant, ita eos traducunt, ita eos exagitant, ut non tam ipsos, quam delegatam a Deo potestatem (quae enim potestas non a Deo?) turpissimis probris et contumeliis onerent. O vos miseros qui tam procaciter Christos domini (*Rom. 13. Psal. 104. 3. Reg. 2. 4. reg. 9.*) tangitis et violatis: qui tam impie in Dei prophetis malignamini. Ecquid aliud vos quam horrendi Chami exilium: quam Semei interitus? Quid denique aliud quam praecipitium Jezabelis et laniatio tot sceleribus digna manet? neque enim canes impudentes et rabidi, nisi a canibus vorari debent. Dices forsitan, cur Spartam, quam nacti (*1. Pet. 5.*) sunt, dedecorant? Finge eos nullam fieri formam gregis: finge avare et superbe, contra quam Spiritus sanctus jubet, dominari in cleris, finge gregum et officii sui oblitos molliter semelipsos ac delicate pascere: non attendens, sedisse (ut a domino commoneris) super (*Matth. 23.*) cathedram Moysi: ac vitanda, siqua sunt, prava eorum opera, servanda autem et facienda, quaecumque ab iis tibi praecipiantur? Nam, vel percussus Paulus te (*Act. 23.*) docet sacerdotibus non maledicendum.

Sed ut intelligatis quem tandem mites illi et mansueti ex suae agnitione culpae, suaeque modestia fructum perceperint: En audiunt continuo: Euntes in mundum universum; o admirabilem caelestis dignitatis praerogativam, et regnis omnibus atque imperiis anteferendam, etc. Sic, sic superbis (*2. Pet. 5.*) resistit Deus, sic et humilibus dat gratiam: nec requiescit spiritus domini, juxta prophetam, nisi super (*Isa. 66.*) humilem et pauperem, et trementem sermones ejus. At quibus eos credidisse negat? num angelis? minime: quibus igitur? iis, quae quum ab angelis de resurrectione domini certiores factae, ac continuo dominum intuitae (*Luca. 24*) essent, idemque discipulis nunciarent, non modo illi non crediderant, verum illarum verba ut deliramentum aliquod exceperunt. Quin ne discipulis quidem cum alii aliis idem referrent, crediderunt.

Euntes in mundum universum (*Marci 6.*) praedicate, etc. Non ii ad Fortunatas insulas, et Hesperidum hortos, non ad ultimos Aethiopes Antartico polo propemodum admotos, non ad Indos: non denique ad finitimum Boreae latus, per duratas solo nives, pauperiem, donum Dei non intellectum fugitantes, penetrarunt: et gemmas et lapides, aurum et inutile, summi materiam mali reportarent: sed eodem summa diligentia, et relicta fluxorum bonorum sarcina contenderunt. Non ut Crates Thebanus, non ut Antisthenes, non ut plerique alii philosophi venalia gloriae mancipia, et popularis aurae rumorumque avidissima: sed ut verissimi Christi discipuli et sectatores, non sua, praeceptoris exemplo, sed totius orbis salutem in caritate non ficta, in verbo (*1. Cor. 6.*) veritatis, in virtute Dei,

per arma justitiae a dextris et a sinistris, quasi tristes et semper gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes quaesiverunt. Nec in deliciis et carnis curam agentes, mollibus, ut qui in domibus regum sunt, vestiebantur, siquidem nudi erant (ut Paulus ait) et (1: Cor. 4.) esuriebant, et sitiebant, et colaphis caedebantur, et instabiles erant, atque ita manibus (Matth. 26.) suis laborantes, ejus fidem intrepide profitebantur, quem et haud ita pridem negarant, et de ejus resurrectionis veritate addubitaverant.

Quam mirabilia opera tua (Psal. 67.) domine, et quam ipse es mirabilis in sanctis tuis. Petrus, Andreas, ac reliqui tui piscatores, retia sua, piaque voluntatis proposito omnia, quae in mundo sunt, ac se ipsos abnegantes, te sequuntur: et ex piscium piscatoribus, hominum piscatores evadunt. Matthaeus ex teloneo vocatus, ex usurario et publicano officiosus caritatis sectator efficitur. Quid Paulus, tot ante (Matth. 9. Genes. 47. Tert. lib. 5. adversus Marcionem.) saeculis a Jacob per Spiritum sanctum apostolus designatus? is mane, ineunte scilicet adolescentia, oves domini spirans caedis et minarum devorabat. Idem ad vesperam, idest, profecta jam aetate, suo judicio prae modestia et humilitate peccatorum primus dominicus pascebat oves, easdemque subinde omnibus omnia factus donec in iis (Tim. 1. Galat. 4. Act. 9.) formaretur Christus, parturiebat, an non ex lupo rapaci ovis, et ex persecutore vas electionis effectus est, ut redemptoris nomen coram gentibus et regibus portaret? videtis ne ut lapis ille, quem reprobaverunt aedificantes, nullo populos (Matth. 21. Ephef. 21.) discrimine agens, ambos pace per crucem facta conciliet: habemus enim per ipsum ambo accessum in uno spiritu ad patrem, nec audimus jam hospites et advenae, sed cives sanctorum et domestici Dei, supraedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa, crescit in templum sanctum in domino.

Sed perpendamus, quaeso, quidnam haec verba nobis innuant, *Euntes* (Heb. 2.) *in mundum universum praedicate evangelium*. Nemo, teste apostolo, *sumit sibi* (Ioan. 10.) *honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Unde per Ioannem Christus ait: *Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt et latrones*, O Luthere, o Oecolampadi, o Bucere, o vos lutum et sordes, o nobilissimae ac perinde Christianissimae quondam nationis vestrae oblivio, cur vos ante dominum ut Theudas ille, et Indas Galilaeus, venitis? cujus auctoritate apostolicam functionem sumitis et usurpatis? an non vel hoc uno argumento vos proditis, ut operarios iniquitatis, ut pseudoapostolos? Isaias mitti postulat, Ioannes (Isa. 6. Ioan. 1. Rom. 1. Matt. 12.) Baptista missus a Deo dicitur, Paulus vocatus et segregatus in evangelium scribitur. Apostoli hodie mittuntur. Quid igitur? an non vos juxta vocem domini fures estis et latrones? aut inimicus sator, aut certe ut ejus ministri, quos ipse fascinavit, suoque authoramento obligatos in zizania, in scandalum, in blasphemiam Christiani nominis, et crucis ignominiam seminavit? O vos vestrosque asseclas infelices et miseros, quos equidem sine gemitu et moerore nominare non possum. Tam male cautos Mariae vos lepra (Nume. 12. Nume. 16.) fratri Mosi leviter obtrectantis reddit: tam male vos movent edita in Chore, Dathan, et Abiron exempla? Cur vos illorum exitus non perhorrescitis, quorum impia facta imitamini? Qua vos dementia, quibusve furiis agitati, et Dei ecclesiam, et Christi vicarium perturbatis et persequimini?

Sed jam videamus qua diligentia, quamque late qui in universum mundum mittuntur, evangelicam fidem promulgent. Paulus Apostolus ad Romanos (Rom. 10.) scribens, cum omni gentiles excusatione nudat et exarmat, nisi praedicatam jam per universum orbem fidem amplecterentur, illud psalmographi citat, et impletum ostendit; *in omnem* (Psalm. 18.) *terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*. Chrysostomus, cui et (Chry. in 24. cap. Matt. ho. in Jo. ad Roma.) angelicus doctor (refragante non nihil D. Augustino epistola 80 quam ad Hesychium mittit) adstipulatur, intra viginti, aut certe intra triginta annos evangelium in omnes orbis oras propagatum asseverat. Nititur is hoc Pauli loco, et verbis illis ejusdem: *Gratias agimus* (Colos. 1.) *Deo et patri domini nostri Iesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, et dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quae reposita est vobis in caelis, quum audistis in verbo veritatis evangelii, quod pervenit ad vos sicut in universo mundo est, fructificat et crescit*. Quae mihi sententia non mediocriter arridet, nam licet in omnibus orbis partibus ecclesia omnino neutiquam aedificaretur, tamen vel per apostolos, vel per eorum discipulos in universos orbis fines evangelii praedicationem ante Hierosolymitanum excidium excurrisse arbitror. Quid enim vel solus Paulus obivit, quum non modo magnam Asiae partem et quamplurimas insulas; verumetiam Macedoniam, Graeciam, Illyricum, Italiam, et ut Chrysostomus multis locis testatur, permultique

alii, Hispaniam, ac teste Sophronio patriarcha Hierosolymitano, Gallias etiam adierit? Unde facile liquet, quanta celeritate, quanta fide, quanta contentione, quam magnis laboribus et periculis ab homine peregre proficiscente, id est a Christo in caelum ascendente, credita sibi talenta multiplicarint. Euge servi (*Matt. 25.*) boni et fideles, quia super pauca fuistis fideles, super quam multa jam constituimini?

O si, patres amplissimi, nostris his exulceratissimis temporibus nonnulli ex eorum ossibus exorerentur, qui non pecuniaria talenta, sed eloquia Dei preciosa et illuminantia oculos, fidelibus numulariis committerent. Qui si episcopatum desiderant, et adipiscuntur, reputarent secum, non inanem gloriam, non tam primos in foro accubitus, non tam reditus ipsos, quam ministerium, solitudinem: non tam praefecturam, juxta Chrysostomum, quam subditorum curam, et unicam ovium salutem: vel cum aperto capitis periculo proponere sibi oportere. Bonus enim pastor is, meo iudicio dicitur, qui suorum commodorum oblitus etiam animam suam, pro suis ovibus ponit, Moses evangelii (*Origin. c. 26. Nume. Exod. 32. Rom. 9.*) potius (ut inquit Origenes) quam legis discipulus, quam crebro culparum populi sibi commissi deprecator intercedit? Adeo ut nisi populo insano etiam demonum cultu implicato parceretur, deleri de libro domini postulet. David rex dum (*2. Reg. 24.*) angelum, a quo populus sibi creditus caederetur, videt saevientem, in se Dei manum converti postulat Paulus quoque anathema pro fratribus fieri cupiebat. Unde, quis inter eos (*2. Cor. 11.*) infirmabatur, quin idem infirmaretur? quis scandalizabatur, quin idem ureretur? Itaque quum hae sint veri pastoris partes, et justissimum officii auctoramentum, quaeso vos, qui huic officio deest, cur non mercenarius potius, quam pastor appellabitur? Considerate igitur obsecro, quid Deus Pergamae ecclesiae angelo dicat, cum se illi venturum minitatur.

Utinam ignis ille quem venit dominus mittere in terram in cordibus nostris (*Luc. 12, Apocal. 2.*) accenderetur, ne in nobis desideraretur quod in Ephesinae ecclesiae angelo idem dominus requisivit: utinam saecularibus curis et solitudinibus (*Luc. 2. Ezech. 34.*) expediti, vere et ex animo serviremus domino, utinam vigilemus, et custodiremus vigiliis (*Philip. 4.*) noctis super gregem quisque suum: utinam pasceremus potius, quam pasceremur, neuliquam dominicus grex tam esset dispersus, tan scabiosus, non inquam tam esset afflicus. Nihil enim non possemus in eo qui nos confortaret, si ejus negotium bona fide tractarem. Quid enim illi ipsi, de quibus nunc agimus, quum fuerint solitudine non pigri, et spiritu ferventes non praestiterunt? O rem portentosam ac plane incredibilem. Debellerunt Romani universum orbem, innumerabiles hominum myriadas in servitutem redegerunt, et a duodecim viris nudis, inermibus, atque idiotis subacti sunt ipsi et superati. Quibus iis vel invitis novas leges, novaque vivendi statuta imposuerunt. Adeo, ut quod in una domo vix fieri possit, missis Christus discipulis, per praecipitia, per ignes, per praeruptos scopulos, per sartagine et craticulas, per bella terra marique frementia, per infinita mortis genera perfecit. At vero, cur praedicandum omni creaturae evangelium? Num plantis? num rupibus? ut Orphea narrant fabulae suo cantu avulsisse arbores, stelsse flumina, et violentissimas feras demulsisse? Minime, minime inquam. Sed soli homini, qui ut rationis est particeps, ita et beatitudinis particeps esse potest. Appellatur autem omnis creatura, quod cum universis rebus creatis nonnihil habeat commercii. Nam ut sit, commune habet cum saxis: ut vivat, cum plantis: ut sentiat, cum animalibus: ut ratiocinetur, cum angelis. Unde et a philosophis parvus mundus appellatur.

Additur porro: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Quam commode fides primo loco statuitur. *Credere enim oportet, accedentem ad (Hebr. 12.) Deum, quia est, et inquirentibus se, remunerator sit: ea vero sublata, impossibile est placere Deo.*

Num vero si quis aliquando crediderit, eo prolinus liberabitur? Credidit Iudas, et interit, credidit et Simon Magus, et flagitio, quod ab eo postea nomen tulit, in interitum ruit voluntarium. Non quaeruntur in Christianis initia (ut ille ait) sed finis, doctor gentium male coepit, sed bene finivit, male coepit et latro, sed ex cruce in paradysum evolavit. Quam, vel Dei testimonio probatus Saul ad regni administrationem accessit, quam vero nefaria et miserabili morte absumptus est? Quam honesta Aarii exordia, sed ejus finis summa impietate damnatur. *Iustitia enim justi (Ezech. 18.) non liberabit eum, in quacumque die peccaverit, nec contra, ut apud Ezechielem scribitur.* Hinc Paulus fidem et misericordiam consecutus, castigat corpus suum, et in servitutem redigit, ne quum aliis praedicaverit, ipse reprobus efficiatur, atque ut idem monet: *qui existimat (1. Cor. 10.) se stare, videat, ne cadat.* An ne tibi satis te beatum putabis, si credideris aliquando, si baptizatus fueris, ac paulo posterius, labiis dumtaxat Deum honores? Si nosse confitearis, factis autem ne-

ges? Non potest eum (1. Ioan. 2.) nosse, quin ejus mandata custodias: ea si infringis, ea si violas, nihil minus quam Deum nosti. Adsit igitur mandatorum observatio, adsit fides: non tamen (Galat. 3.) mortua, sed actionibus pie instructa, et quae per caritatem operetur.

Roget quispiam: quamobrem tandem repetat D. Marcus: *non crediderit*, tacet vero non baptizatus fuerit? Nempe ut ostenderet, solam fidem interdum ad salutem sufficere, si aquam ad baptismum non contempsit, sed (Cyprianus, Ambrosius, Augustin. Bernardus.) defectus (ut magni autores tradunt) negaverit. Eoque cum martyrimum, omnium theologorum placitis baptismi vicem subeat, non ob poenam cruciatumque, quem vel nocentissimi perferunt, sed ob ipsam fidem id effici intelligimus.

At vero quibus argumentis dignoscemus eos, qui crediderint? *In nomine meo demonia ejicient.* Ut intelligas bonitatis redemptoris nostri divitias, multo etiam ante, quam ipse pateretur, et Spiritum sanctum discipulis insufflaret, factum apud Marcum his verbis legimus. Exeuntes praedicabant, ut (Marc. 8.) poenitentiam agerent, et demonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos aegros, et sanabantur: qua etiam gratia et ipsi exultabant. Quin et in actis apostolicis ita scriptum vides. Deus non (Luc. 10. Acto. 19.) quaslibet virtutes per manus Pauli faciebat, ita ut deferrentur etiam a corpore ejus super languidos sudaria et semicinctia: et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur.

Quod autem ad novas linguas attinet, quibus locuturi erant credentes, non una solum, ut quidam arbitrantur, sed omnibus omnium linguis, decem post (Acto. 2. Chrysost. et Aug. tract. 32. in Ioan. Acto. 19. 1. Cor. 14.) dies usi sunt: quibus, jacto fidei fundamento, missus a Patre et Filio Spiritus sanctus communicatus est. Nec hoc Paulus munere defraudatus, licet tunc abfuerit, quum dicat quibus scribit, *Gratias Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Quin, et per ejus impositionem manus ita quibusdam Ephesi datus est Spiritus Sanctus, ut in linguis loquerentur, et prophetarent. *Serpentes* (Acto. 28), inquit, *tollent.* Certe eorum calcandorum facultas multo ante passionem est his tributa: et Paulus apostolus in Melite insula viperam jam manui haerentem illaesus in ignem discussit, quum, qui adessent, arbitrarentur, ipsum naufragio quidem dilata Dei vindicta liberatum, eo tamen morsu continuo ut homicidam, interiturum. Quid? Ut omittam, consolidatas claudo bases et plantas, et Eutychum ex tertio coenaculo prolapsum (Acto. 3. Acto. 20. Acto. 5.) ac mortuum, vitae restitutum: an non Petrus, non dico imposita manu, sed vel sola (per Christum quidem) umbra effecit, quod nusquam Christum fecisse legimus? nempe ut impleretur quod redemptor per Ioannem dixerat. *Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.*

Porro si mortiferum quid (Ioan. 14.) biberint, non nocebit eis. Proh Deum immortalem Christiani patres. Nulla aconita bibuntur fictilibus. Nunc, nunc illa, vix ubi ullum fidei et caritatis vestigium, timenda: quum pocula sumes aurata, et medio Setinum ardebit in auro. Divites illa et opulenti formident: quibus non fames et sitis, sed affluentes voluptates periculum creant: illa, illa pertimescant, quos non voluntaria abjectio et modestia, sed exitialis avaritia, [et honorum aucupatio suffocat et strangulat. Quis enim Petro (Marc. 6.) insidiaretur, aut mortiferum aliquid misceret cui non argentum, non aurum, imo vero ne aes quidem in zona, ut monerat dominus, sed ingens mundi contemptus, sed firma fides et locupletissima misericordia adfuit? iis enim machinis Christiana respública per egestatem, persecutiones, et varia caedium genera ab exiguis profecta initiis, eo crevit, ut universum (Histo. eccle. lib. 6. cap. 7.) orbem occuparit. Quem ecclesiae statum in speciem quidem, luctuosum, re tamen vera felicissimum nefarius apostata, et deterrimus Christianae reipublicae hostis ita nobis invidebat, ut Christianos omnes non tam aperta crudelitate, quam subdola clementia persequeretur: adeo, ut qui proscripti et ablegati in exilium ob ecclesiae dissensiones a Constantio fuerant, quasi fraudulentis odientis oculis (ut cum Sapiente loquar) in pristinam (Prov. 17.) ab ipso dignitatem restituerentur.

Illi igitur illa inquam expaveant, patres amplissimi, qui licet sermone taceant, opere tamen loquuntur, fidem et misericordiam non habeo (si enim D. Hieronymus (Ad Eustoch. de casto. virgin. tom. 1.) in suorum confusionem temporum, haec invertit, quae utinam in nos dici non possent) quod autem habeo argentum et aurum, hoc tibi non do. Cur turpis lucri cupidus es? Cur cum Exuperio illo avaritiam e templo non expellis? Cur aurum sitis? Cur thesaurizas cui nescis, ut ipse aeternum sitias cum divite, et egeas? O nos miseros si haec non intelligimus, o nos miseros si intelligimus, quod multae nos plagae maneant, nisi corrigamus: nemo sibi hic blandiatur, Christiani patres, aut hoc se ex numero exemplum arbitretur, quod schematis majorum, quod pietis fumosarum imaginum

vultibus, quod praeclaris honoribus fulgeat. Nihil vana haec Christus moratur, nihil curat. Cui plus commissum fuerit, plus ab eo, sine ullo personarum discrimine, exigetur. Ac nisi exactam suae villicationis rationem reddat, *potentes* (Sap. 6.) *potenter tormenta patientur*. Videamus tamen, ecquid propinatum iis, epotumque nocuerit? Nihil profecto. Hausit siquidem discipulus ille, quem diligebat Iesus, nec illi haustum obfuit: hauserunt et plerique alii, nec quicquam inde ceperunt detrimenti. Ac ne effoetam id genus miraculis divinam arbitrere gratiam, multis post saeculis B. Benedictus (auctore Gregorio) non haustu, sed caelesti quadam praesensione, porrectum sibi a monachis veneni vasculum, solo crucis signo comminuit.

Dicet hic forsitan insipientior aliquis, nullam jam esse fidem, quod nulla id genus miracula appareant. Quis tu es, qui Dei sapientiam ita convellis? Fuerunt illa nascenti ecclesiae necessaria, ac proinde tunc passim edita, ut adolesceret iis Christiana fides et propagaretur. Nunc vero cum idolorum cultus desierit, cum ipsa ecclesia omnium linguis loquatur, cum serpentes et scorpiones calcavit, cum venenata Babylonis ethnicorumque errorum pocula sustulerit, quorsum tandem miraculorum opus? Num mare nobis dividi, num serpentem tolli nobis in deserto, num manna de (*Lucae 12*) caelorum demitti nobis cupiamus? Quaerat sibi signum generatio nequam: nos verum habemus baptismum, verum Christi corpus in cibum, verumque serpentem, cujus livore sanati sumus, quem et hodie in caelum ascendisse cernimus: ut omittam interim, juxta Gregorium universa haec in ecclesia spiritualiter effici, quae olim per discipulos corporaliter transigebantur.

Sed progrediamur ulterius. *Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis*. Quid? solum ne discipulis suis locutus Christus, ac nihil operatus, discessit? Atqui nihil frigidius doctore qui verbis solum philosophatur, et juxta Paulum, regnum Dei, non tam in sermone, quam in virtute consistit. Et quum concionator duabus potissimum partibus conflatur, ut vir bonus sit, et dicendi peritus, potior pars est, ut sit vir bonus: quod non ostentatione, non simulatione morum: sed probitate, et perfectis virtutum actionibus metiendum est. Quod vero tonuerit redemptor noster et fulminarit in dicendo, vel hostium testimonio perspicuum, qui violentas in eum manus injecturi, efficacissimae ejus eloquentiae miraculo stupefacti atque attoniti se cohibuerunt, responderuntque iis qui se ad eum comprehendendum miserant, nunquam sic locutum fuisse hominem. Quid vero illud: *Ego sum*, quo audito omnes adversarii jam jam (*Io. 7. Ioan. 18.*) capti capturi conciderunt? At, fuit in agendo debilior? Imo vero (ut ille ait) mirabilium effector operum. Qui praeterquam quod caelum et terram, et omnia quae in eis sunt fabricavit, post hominem etiam assumptum, suos ipse suorum magnitudine miraculorum inimicos provocat et lacescit, ut si ei adamantina quadam insentati cordis duritia non crediderint, saltem ejus operibus credant. Et ut intelligas priorem illi faciendi (*Ioan. 10. Acto. 1.*) quam loquendi rationem fuisse, prius facere quam docere coepisse a Luca scribitur: nempe ut suo nos optimus magister exemplo institueret, pastorale officium benefaculis potius, quam verbis constare. Itaque dominus Iesus non locutus modo, sed etiam mirabilia ac plane divina operatus, *assumptus est in caelum*.

At, quonam pacto assumptus? Primum omnium detestemur Arianam et Nestorianam impietatem, et universa orientis venena. Unum siquidem Christi suppositum, duas, ut voluntates, ita et naturas confitemur et asseveramus. Et ut una mortuus est, altera mori non potuit: ita quoque una resuscitatus a mortuis, altera resurrexisset: una assumptus, altera ascendisse dicitur. Sic a D. Luca ejus (*Acto. 1.*) mysterii neutiquam ignaro elevatus dicitur, quem protinus idem patefacto nobis divinitatis arcano, euntem in caelum scribit. Sic quoque psalmographus, sic Paulus loquuntur: *Ascendens in* (*Psal. 67. Ephes. 4.*) *altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. O admirabilem scripturae rerumque seriem. Rubo qui illaesus ardebat, Christi conceptio, et virginis integritas praesignabatur: praesignabatur (*Exod. 1 Gene. 37.*) traditio et venditio redemptoris, magnis peristaseon coagmentis Josephi in Aegyptum venditione, qui et a Pharaone occulto mysterio servator mundi est nuncupatus: immaculati agni (*Exod. 12. Ionne. 2. Matth. 12.*) immolatio, paschalis agni maclationi et esu figurabatur: negligens supernae legationis Jonas creatoris sui carnem induti sepulturae, resurrectionis typum gessit: denique et Heliae raptu (*4. Reg. 2.*) sacrum ascendentis hodie domini mysterium adumbrabatur: Quamquam ille, ut servus: hic ut, dominus: ille, dilata morte, hic jam devicta: ille, in aerium locum, hic super omnes caelos: ille, aliena virtute, hic eadem, qua universa quondam fabricarat, in vecta eodem et honestata natura nostra, ascendit.

Utque magis stupeas, et ardentius ad illum adspires: Nos, nos inquam, miseri illi, qui tam impie in primo parente divinam laeseramus majestatem, ut ex paradiso terrestri miserabili exilio flammeeque etiam gladio per Cherubin intentato exigeremur, caelorum fines transgressi, et regali

sede decorati, angelicis choris exornamur. Quod quidem aperte declarant duo illi angeli albis vestimentis prae laetitia induti, qui moestos ob discessum domini discipulos consolantur, et non jam angeli tantam nobis gloriam nescio quo pacto invidentes, vel potius gratulantes, non inquam jam angeli, sed viri ab evangelista vocari volunt. O ineffabilem nobis dominicam ascensionem, et albis vestibibus innocentiae internaequae exultationis indicibus perpetuo celebrandam. At quo modo ascendit, quum sit idem qui et descendit? Audi Salomonem: *Ecce, inquit, iste (Canti. 2.) venit saliens in montibus, et transiliens colles.* Quibusdam enim veluti saltibus gigas ille, cujus egressio a summo caelo, ad currendam nostrae salutis viam exultavit. Primum ab arce parentis in uterum virginis: ex utero in praesepe, ex praesepe in crucem, ex cruce in sepulcrum, inde confirmatis fratribus *ascendens in altum* (Psal. 67. Ephes. 4. Zach. 9.) *captivam duxit captivitatem.* Quam vero? Vel vinclos suos, juxta Zachariam, qui delinebantur in lacu, in quo non erat aqua: Vel diabolum et mortem, quam morte ipse sua vicerat et absorpserat: cujus et imperio vinciti adhuc illi coercebantur.

At quaenam dona dedit hominibus? Audi apostolum Corinthiis commemorantem: alii (1. Cor. 17.) quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae, secundum eundem spiritum: alteri fides, in eodem spiritu: alii gratia sanitarum in uno spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum: Nec negavit discipulis (4. Reg. 2.) benignissimus praeceptor duplicem illum spiritum, quem suus alumnus ab Helia tantopere expetebat. Nempe ut et illustraretur intellectus, et affectus expurgaretur. Unde quum vilescerent illis omnia: imo vero reputarent ea ut stercus propter Christum, corpore quidem mortuo propter peccatum, spiritus vivebat propter justificationem. Et quia non humi, sed tutius in caelo thesaurum (Romae. 8. Philip. 3. 2. Cor. 5.) sibi thesaurizarent, ac proinde omnis eorum in caelis esset conversatio, ingemiscebant gravati hoc tabernaculo, habitationem nostram, quae de caelo est superindui cupientes. Hinc illae voces: *Mihi vivere (Philip. 1.) Christus est, et mori lucrum.* Hinc et illud: *Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo.* Quae quum ita se habeant, patres sanctissimi, an non satis liquet quam affluenter, et dona illa, et duplex ille Heliae spiritus discipulis domini sit tributus? O felices ter et amplius, qui ita se abnegaverunt, qui ita crucem suam sustulerunt, ita desierunt mundo vivere, propter Christum, ut nihil vivat in illis, nihil in illis regnet nisi Christus. Sic petitur caelum, patres sanctissimi, non *ut ferat Ossan Olympus, summaque Peliacus sydera tangat apex.* Gigantum est ista temeritas et haereticorum: qui quum sint proprio judicio damnati, et in reprobum sensum traditi, naturae ac Deo ipsi bella movent. Nos, qui Christo (Coloss. 2. Galat. 3.) in baptismo consepulti sumus, nos qui Christum induimus, nos qui Christum pro nostra fragilitate amplectimur, qui ad Christum anhelamus, ad Christum per montem pinguem, montem coagulatum, montem in quo beneplacitum est Deo, summum scilicet pontificem ascendamus.

Quod si rectores tenebrarum et spiritualia nequitiae ascitis in societatem haereticis et schismaticis, ac universis tartari cohortibus id interturbare, licet eorum castra adversus nos consistant, ne simus modicae fidei, alioqui Petri exemplo, sommergemur; ac licet exurgat eorum praelium adversus ecclesiam, ne timeat cor nostrum obsecro, aut perturbetur: quin potius in eo indubitanter magnaque cum fiducia speremus. Numquid manus domini abbreviata est? aut non justificabitur Christus in sermonibus suis? Atqui, ille ipse, qui solus (Tit. 1. Matth. 28.) non mentitur, ascensurus ad patrem, ultimis verbis, quae ipse apud Matthaeum discipulis loquitur, praesentissimum ipsis. sponsaeque suae auxilium usque ad consummationem saeculi pollicetur. Idem quum satanas, ultima jam coena (Luc. 12.) sumpta, expetisset apostolos, ut cribaret eos sicut triticum, an non oravit pro Petro, ut et ipse conversus, confirmaret fratres suos? Quid igitur? oravit tunc pro Petro dominus, et nunc non orabit pro Iulio? numquid aut Christus imbecillior, vel inhumanior, quam heri et nudius tertius? aut minor Petro Iulius dignitatis substantia et officio? Non, si crepent antichristi omnes, et satanica rumpatur phalanx. Dices forsitan haeretice, fratres a Petro confirmatos, nihil te adhuc tale in Iulio expertum. *Imperet (Iudae 3.) tibi Christus.* Utinamque stulte saperes ac novissima pro- videres.

Attende huc (quaeso) quod tandem praesentissimum est habitum vel a primis nascentis ecclesiae incunabulis, aut ad confirmandos quos tu et vitae sordibus et doctrinae pravitatibus offendis, aut ad te tuique similes vel sanandos, vel coercendos remedium, an non oecumenicum concilium? At qui, interruptum jam ac fere ob nostra vestraque scelera desperatum sanctissimus pontifex, et verissimus Christi vicarius summa pietate, singulari in ovile dominicum studio, sapientissimis et Christianissimis ejusdem concilii moderatoribus in civitatem hanc, optime Madrutio et cardinale et principe moratam,

missis, coactoque sanctissimo antistitum ordine restituit, et felicissime continuat. Nonne hic Crescentium illum incomparabili sanctimonia, summaque rerum prudentia virum a pontifice Opt. Max. adesse intueris? Quo ductore et suus aliquando tandem deformatae ecclesiae decor restituetur, et religio, amissa multorum flagitio Christianae reipublicae dignitas recuperabitur et crescet? Nonne hic duos vides sapientissimos praesides praestantissimi legati collegas et socios, qui vitae integritate, qui locupletissima scientiarum suppellectili, plurimis gravissimisque negotiis caste integreque obitis clari sunt toto orbe et insignes? nonne hic tot stellas, quot praesules conspicias, quorum lux ita lucet (*Matth. 5.*) coram hominibus, quorum sanctissima opera ita perspicua sunt, ita omnibus obvia ut ne tu quidem licet praepostero iudicio sis, et a communi sensu alienus, ut es, non possis eorum ergo caelestem patrem non glorificare? Nonne inquam, vides omnes hos Christianissimos viros non aliorum suis sedibus excitos et coactos, quam ut tibi tuique similibus, ac universis reipublicae vulneribus medeantur? Ecquid aliud requiris? Nam ne Christus quidem aliud quippiam a Petro postulavit, non enim a pastore sanatio, sed cura et sollicitudo exigitur. Interim tamen cave, ne tua te pravitas, ne tui te peccatorum funiculi ad insaniam redigant. Ac proinde *revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur* (*Cant. 6.*) te. Nam quamvis fornicata sis cum pluribus amatoribus, quamvis facta sit tibi facies meretricis, ut spiritualium (*Ose. 2.*) nuptiarum paranympsi, despondebimus te uni viro virginem castam exhibere Christo. Surge igitur (*2 Cor. 11.*) ne dormias, et exurge a mortuis: praecinge lumbos (*Ephes. 5.*) tuos, et propera: ecce sponsus venit, ut te illuminet: ut novum te hominem induat, Exurge, exurge, inquam, et propera, sume mature oleum, accelera, excipe venientem ad nuptias sponsum: si evigilaveris, si venientem exceperis, mihi crede, virgo eris et prudens, et ingredieris ad nuptias. Ne desperes transformationem hanc, quae impossibilia sunt apud homines, possibile sunt apud Deum.

Sed redeamus, patres amplissimi, unde sumus digressi, et quam brevissime, quod superest, absolvamus. Quod si igitur, non jam (*Ephes. 6.*) caro et sanguis, sed principes et potestates et rectores tenebrarum harum, nos adorantur et invadant, sic habetote, ne portas quidem inferi quicquam adversus ecclesiam praevalituras. Non enim est domus super arena (*Matt. 7.*) aedificata, sed supra vivum saxum firmamque et divinam petram constructa, eoque licet flumina veniant, licet flent venti procacius, et impotentius in illam irruant, non periclitabitur, non cadet. Agitari siquidem Petri navicula fluctibus potest, submergi non potest.

Sed quoniam in gravissimis iis reipublicae calamitatibus innumerabiles multitudine animae Christo pereunt, pro quibus ipse sacratissimum sanguinem suum fudit, vellem equidem ut hae procellae, quibus ecclesia divexatur, et assiduis justorum precibus, et salutaribus consiliis componerentur: testorque, patres amplissimi, locum hunc, quem ego indignus conscendi, non tam unquam Christianae reipublicae pericula, non tam dissensiones, non tam schismata, quam corruptissimos mores nostros, nostraque delicta formidasse. Praesertim dum considero, eo nos prolapsos, ut nec viria jam nostra, nec remedia pati possimus. Haec siquidem nos enervant, haec frangunt, haec oppugnant, imo vero expugnant, ac veluti vinctos nostris nos hostibus tradunt. Haec totam Asiam, haec totam Africam, haec bonam Europae partem, leoni, qui circuit (*1. Petr. 5.*) quaerens quem devoret, prodiderunt.

Quamobrem per sanctam ego vos sedem apostolicam, per necessariam concilii celebrationem, per ascensionem domini, per Christum mundi salutem, oro et obtestor, ut laborantis ecclesiae miserti, prosternatis cum Daniele preces (*Dan. 9.*) vestras ante faciem domini, *non in justificationibus propriis, sed in miserationibus eius multis.* Et quia sacerdotes domini et ministri ejus estis, patres sanctissimi, *canite tuba in Sion, sanctificate* (*Isa. 66.*) *jejunium, sanctificate ecclesiam, plorate inter vestibulum et altare, et dicite: Parce domine, parce populo tuo, et ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominantur eis nationes.* Ac ne vos, qui ad liberandam ex tot periculis, atque adeo ex ipsis daemonum faucibus ecclesiam summa cum omnium gentium expectatione coacti estis, justiliarum et divini testamenti enarratione, negligentia (*Psal. 47.*) quapiam (quod peccatori juxta psalmographum contingit) excludamini, cum *sal terrae, et lux* (*Matth. 5.*) mundi esse debeatis, renovamini, renovamini spiritu mentis vestrae: abjectisque hujus saeculi tenebris arma lucis induti obsecrate Deum suppliciter, ut expulso apro (*Psal. 79.*) de sylva, ac singulari fero, qui omnia depascitur et populatur, qui omnia violentissime fert et agit, respiciat ipse de caelo, videat, visitetque vineam istam, quam plantavit dextera ejus.

Quin, ne captata diu, et summo Dei beneficio oblata haec tam commoda restituendae Christianae

reipublicae occasio, vestra culpa amittatur. Aperite portas vestras, Christiani principes, et stantem jam ad ostium, et pulsantem dominum, nobisque in iis tempestatibus tam clementer apparentem eadem animorum conspiratione atque observantia huc introducite, retinete, veneramini, qua hodie ad patrem ascendens ab universis angelis exceptus est. Spero siquidem caelesti ejus praesentia et sanctissimis precibus vestris, ac corde omnium vestrum uno, animaque una effectum iri, ut concilium hoc felicissime, et e republica peragatur: evellantur superseminata zizania, mores nostri emendentur, destructisque inimicorum civitatibus, solo tubarum sono, id est, septiformi Spiritus sancti gratia, per quem in unum convenistis, labefactati Ierusalem muri, divinitus aedificentur: opitulante domino nostro Iesu Christo, qui hodie a dextris Dei et in potissimis ejus bonis collocatus, sedet, et regnat cum patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen. Dixi.

VI.

DISCURSO PRONUNCIADO POR JAIME FERRUZ.

TEÓLOGO VALENCIANO, ANTE EL CONCILIO DE TRENTO EN LA FESTIVIDAD DE LA ASUNCIÓN DE LA VIRGEN,
AÑO DE 1551.

Etsi vereri maxime poteram, illustrissime ac reverendissime legate, gravissimi praesides, oratores illustres, patres amplissimi, vosque viri universi eruditissimi, ne et loci majestas, et auctoritatis vestrae eximia celsitudo, dicere incipientem terrerent, et rem tantam in clarissimo coetu aggressum ab incepto dejicerent: grata tamen mihi ac per jucunda humanitatis vestrae recordatio, qui studiosis hoc loco dicentibus magna animorum propensione favere, et eorum praeclaros conatus vestra auctoritate provehere soliti estis, mihi ad suscepti hujus muneris rationem vires addidit, quibus neque rerum magnitudini cederem, neque augustissimo hoc vestro conspectu omnino perterritus locum detrectarem. Nam cum vestra omnium in rem omnem bene institutam propensa voluntas, ad res praeclare gerendas, jacentes etiam animos erigere soleat: tum vero me illud hodie maxime confirmavit, quod de virginis Deiparae laudibus sim apud vos dicturus, quae propitia nostris votis adesse non dedignabitur, ad cujus insignem et claram commemorationem vos omnes tanta alacritate in hunc locum convenisse video: quae forti et invicto animo adversus antiquum illum et infensissimum humanae salutis hostem suscepto causae nostrae patrocinio ejusmodi inimicitias exercuit, quas amplissima ac perpetua pax, contrito illius capite, secuta sit, ut edito in orbem filio, ac proinde per ipsum superata daemonum potestate, salutem mundo attulerit, nosque suis praesidiis quotidie defensos materno sinu perinde ac filios fovet: ut quantum nos ejus praestantia, ac majestas deterrere poterat, tantum clementia erexerit, ac spem etiam nostram confirmarit: quae hodie detractis hosti spoliis ornatissima, ad caelos, unde fuerat ille dejectus, gloriosissimo triumpho assumpta, et angelorum omnium sedes supergressa, adstat regina a dextris unigeniti filii in vestitu deaurato, in ea honorum varietate, quae Dei matrem, et caelorum reginam decet: quae maximo hoc beneficio nos omnes sibi devincit, quod propugnationi nostrae semper intenta, in eo gloriae suae amplitudinem collocat, ut miserorum hominum necessitatibus patrocinetur, atque eorum salutem admirabili benignitate jubet: cujus laudes, quae innumerae sunt, atque eximiae, quo minus ob nostram imbecillitatem assequi possumus, eo magis nobis granda fuerit, ut quae hodie immarcescibilem gloriae coronam super omnes angelos consecuta est, suo nobis favore adesse, et eam hanc dicendi inopiam, ad insignes illos triumphos, quibus honorificentissime in caelis ornata est, aliqua saltem ex parte hoc loco referendos, sublevare pro dignitatis suae magnitudine dignetur.

Cum multis magnisque rationibus, sapientissimi ac gravissimi patres, diem hunc sacrum faustum nobis ac felicem ecclesia intelligeret: omne studium in hanc rem collocavit, ut observantiae erga virginem matrem et debitis obsequiis defuisse minime videretur. Rem itaque sacram magnis laudum praeconiis hodie celebrat, atque ut nunc caetera omittamus, eam nobis proponit evangelii lectionem, quae illius dignitati explicandae omnibus idonea merito videri debet. Quoniam vero sacrorum evangeliorum historia ad illud usque tempus dumtaxat conscripta est, quo Christus in caelum ascendit, et

apostoli ad evangelium ubique praedicandum, Domino cooperante, profecti sunt: neque obitum virginis matris, qui aliquot post annis secutus est, neque ejus in caelum assumptionem complectitur, ut illud nemo jure reprehendere possit, ecclesiam alio non usam esse evangelio, in quo hujus festi peculiaris et expressa mentio haberetur: sed illud nobis hodie concinit, in quo Marthae et Mariae sororis exemplo duas nobis vitae rationes declaret, quas nobis Christus vias ad summam illam et aeternam felicitatem propositas esse voluit, ut in ea quam sibi quisque constituerit, pietatem et justitiam colere, atque adeo ad ipsam beatitudinem cum virgine matre assumi etiam possit. Alii enim ad actiones ultro sese accomodant, et ad ea gerenda quae hominum utilitati necessaria esse intelligunt, et ut Romanis scribebat Apostolus, *necessitatibus sanctorum (Rom 12) communicantes, hospitalitatem sectantur*, pauperes alunt, reficiunt imbecilles; et non solum corporis, sed et animi multo etiam majorem rationem habentes, imperitos instituunt, delinquentes monent, adhortantur, corripiunt, et ea praestant verae pietatis opera, quibus amplissima praemia parata ac proposita Christus pollicetur. Alii vero alterius sororis, hoc est Mariae, exemplum secuti, terrena abdicantes, a sensibus sese magis abducunt, et curis omnibus vacui, rerum Divinarum contemplatione magis delectantur, parentum, amicorum, opum, et rerum humanarum omnium obliti, solum Deum cogitant, solum illum suspirant, solum magno animi affectu et votis continentibus exposcunt, ad Christi pedes assident, et illius verbo diligenter intenti, solidiore illo cibo animum ad aeternitatem alunt, dum salutaris doctrinae ex limpidissimo illo sapientiae fonte rivus hauriunt uberrimos, ac illud subinde repetunt: *Pars mea (Tren. 3). Dominus, dixit anima mea: atque etiam ex Davide: Oculi mei semper ad Dominum. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum (Psal. 24. Psal. 72.)*

Hoc vitae institutum ingressa, atque adeo feliciter etiam persecuta Maria Marthae soror, sedebat secus pedes Domini, et illius verba diligenter audiebat. Altera vero sollicita et ministerio intenta, dum multis distrahitur, docetur a Christo, unum esse necessarium, ut illud vitae genus, quod ad illud unum magis accedit, praestantius atque sublimius esse intelligat. Id autem est, quod in contemplatione positum, pura ac sincera Divinarum rerum consideratione, seclusa humanarum solitudine, in Deum ipsum maxime unum ac simplicissimum ducit. Est enim Deus unum illud necessarium per se expetendum, in quem ut in ultimum finem omnia virtutum studia, pietatis opera, ac praestantissima illa rerum caelestium contemplatio, referri debent: cui uni adhaerere bonum est, ac in eo spem ipsam omnem se collocare (Psal. 26.) dicebat David, et unam hanc rem se a Domino petiisse, atque hanc ipsam requisiturum se, ut inhabitaret in Domini domo omnibus diebus vitae suae: ut facile sit hoc loco illorum errorem deprehendere, qui dum audiunt, unum esse necessarium, fere omnia ad salutem necessaria e medio tollere non dubitarunt, dum vel solam fidem, vel otiosam omnino et inanem quandam verbi auscultationem, ad salutem necessariam tantum esse interpretantur. Quae quid, quaeso, proderunt sine observatione mandatorum Dei, et nisi operibus praestes quae audis? An salutare Dei leges contemnendas esse putas, quarum observationem ad salutem et justificationem nihil nobis conferre posse arbitraris? Sed finem nobis proponit Christus, unum quidem illud ac necessarium, qui solus per se sit a nobis expetendus, et in quem unum bona omnia relata esse oportet; ut hinc intelligamus, eo praestantioris vitae rationem quosdam elegisse, quo minus distracti curis, eo liberius ac sincerius unum illud contemplantur, et ad illius rationem atque imaginem, quoad fieri potest, sese magis accomodant.

Caeterum hodierno die, patres, hae duae nobis sorores in hunc maxime finem propositae sunt, ut quorum animi aciem non poterat non praestringere splendor Mariae Dei genitricis, et mentis quasi luminibus officere altitudo gloriae; ex ancillis saltem dominam, ex pedisequis praecipuam mundi reginam utcumque deprehenderemus. Duo enim illa bene vivendi instituta, si in virgine matre expendere nobis libuerit, tanto conspicientur praestantiora, quanto illae praeclarissima hac virgine inferiores extiterunt; in qua, ut de vita, obitu, et glorificatione ejus brevissime pauca dicantur, cum excelluerit contemplaandi studium, atque in ea altissimum etiam gradum attigerit, nobis non certe profuit solum: sed percussis prostratisque salutem attulit sancta illa et solers diligentia ministerii quae tam insigniter salutata ab angelo, ancillam se Domini professa, parata atque accincta ministerio, unigenitum Dei filium, splendorem gloriae, et figuram substantiae ejus in virgineum uterum tam magnifice ac liberaliter excepit, ut virgineam carnem ex mundissimo illo sanguine, unde sanctissimum Dei et hominis corpus formaretur, munificentissime ministraverit, atque inde tanquam sponsus processerit e thalamo suo exultans ille gigas ad currendam viam paterni mandati, cujus a summo caelo egressio fuerat. Unde ad nos salute derivata, gravi illa servitute liberati, adoptionem

filiorum recepimus, ut non jam servi, sed filii, ac proinde heredes regni per Deum simus. Cujus beneficii quis unquam nostrum immemor esse poterit, quod ejus sumus assecuti ministerio, quae Christum nobis edidit, lactavit, ac materno etiam affectu solertissime educavit, quem nobis exhibuit omnibus saeculis expectatum servatorem totius mundi? Ut eam merito ad omnem memoriam magnis praeclarisque monumentis commendatam celebremus, non insignem tantum virginem, sed praestanti etiam atque egregia prole foecundam, cujus foecunditas plusquam niveo candore integritatis ejus conspicua, non minus nobis fuit salubris quam admirabilis; quae multo quam antiqua illa et aurea urna felicio, non umbraticum, sed verum nobis manna conservavit, et velut plantatio rosae in Jericho, quam non superbiae scopuli, sed modestiae et humilitatis planities protulit, florem illum campi enixa est omnium pulcherrimum, cujus suavissimo odore semper afflata, quamvis de terra progenita, terrenae tamen faecis nihil inde contraxit.

Summam plane rem et excelsam, cujus magnitudinem admirari potius, quam assequi possumus, quod olim Deus Mosi abunde explicatum esse voluit, qui cum rubum vidisset multis quidem flammis ardere, et quod miraculo omnibus esse poterat, nulla parte aduri, atque ad illud spectaculum diligentius contuendum propius accessisset: prohibitus a Domino, substitit, jussus solvere calceamenta de pedibus, quod locus ille sanctus esset. Nimirum res tanta, de qua nunc agimus, hoc est admiranda illa foecunditas, qua incarnati Verbi mysteria sensimus, cum integerrima virginitate conjuncta, quae rubo ardenti nec combusto portendebatur, dignitatis plena ac majestatis, quam non capiunt angustiae pectoris nostri, non egestas animi, non infirmitas ingenii sustinet, nos potius ad sui admirationem movere debet, et ad cultum excitare, quam ut ad eam penetrandam audaciores accedere debeamus: sed sobrie ac nudis pedibus tractanda res fuerit, ne oppressi a gloria, admirabiles illos sui amores, quos excitare solet, in nobis temere extinguamus. Suscipere autem, et multis etiam laudibus prosequi, cum caetera ad hanc rem spectantia, tum illud etiam maxime debemus, quod Aaroni veterum sacerdotum praefecto postea accidit, ut hoc etiam mysterii ipsi indulgeretur, dum virga illa insignis nullo humectata aquarum fluxu, ita germinavit, ut e turgentibus gemmis flores eruperint, ac dilatatis foliis fructus etiam omnibus placidissimos prodierit. Quid autem commemorem vellus illud Gedeonicum caelesti conspersum rore in tanta terrae ariditate? quod quid aliud praesignabat, quam te virginem caelesti afflatu gravidam, in quam superveniens Spiritus sanctus rem omnibus saeculis admirabilem operaretur? Quod ipsum Hieremias, ut nos rei novitate alliceret, ac delectaret in hunc modum expressit: *Novum (Hier. 31.) creavit Dominus super terram: foemina circumdavit virum.*

Sed omnium apertissime Esaias, qui ut Mosaicum rubum, et flores illos Aaroniticos, et quod alio ipse loco dixit, ascendens virgultum, et radicem de terra sitiendi nobis exponeret, multa paucis complectens: *Ecce, inquit, virgo concipiet, et pariet (Isai. 7.) filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* quod est, Nobiscum Deus, hoc est Deus homo, Verbum haud dubie caro factum, quod nostrae naturae particeps, nobiscum una versaretur. Quod ut rei magnitudinem admirati, non quidem vulgare et commune aliquid, sed praestans atque eximium deprehenderemus, signum a Domino datum fuisse, idem ipse propheta est abunde testatus, ne locus ullus Judaeorum vesaniae, quos prava hujus rei intelligentia transversus agit, relictus esse posse intelligatur. Quae omnia promissa et a veteribus pronuntiata patribus, angelus e caelo missus nunciando exhibuit: *Concipies in utero, inquit, et paries (Luc. 1.) filium, et vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Idem mirum ille, qui ex illaesa virgini natus, illaeram semper servavit, ut illaesa virgo esset et mater. At cur jus mater? Ejus, de quo angelus tam egregie professus est: *Quod nascetur ex (Luc. 1.) te sanctum, vocabitur filius Dei:* ut hinc vere Graeci Θετόκου nos vero Dei genitricem appellemus: quod in eos, qui in errorem impulsus, ab hae fide aversi fuerant, sanctissimis frequentissimisque patrum conciliis, Ephesino et Constantinopolitano concilio generali quinto, sancitum ac declaratum fuit.

Quoniam vero contemplandi studium praeclaras, atque excellentes vitae actiones non exorna modo, sed alit atque sustentat aeternitatis ac Divinarum rerum meditatione: sic omnia vitae exercitia permiscuit, ut splendorem rerum gestarum cum altitudine contemplationis, et hanc cum rebus gestis, amplissime fuerit complexa. Christum itaque dum pareret, lactaret, educaret, an non mens illa caelestium rerum amore ardens, Divinitatis numen contemplata, cum humanis Divina, cum his quae videbantur, invisibilia conferebat, quae Christum in humana natura corporeis oculis dum videret, atque Divinam intelligendi vi, ac fide assequeretur, in utraque sit illum admirata et obsequiis prosecuta? Quam ipsam praestantem Divinarum rerum cum humanis collationem divus Lucas

elegantissime nobis exposuit. *Maria*, inquit, *conservabat* (Luc. 2.) *omnia verba haec, conferens in corde suo*. Quae angeli legationem, Christi ortum, concursum pastorum, magorum obsequia, Simeonis et Annae valicinia, ac vetera etiam prophetarum oracula, sedulo repetens, in singulis majestatem Divini Verbi, immortalem ac perpetuam naturam suspiciebat, ac venerabatur. Ut tandem inter ipsos etiam acerbos filii sui cruciatus, cum in cruce pro communi omnium salute penderet ac pateretur, sola Divini consilii ac immutabilis decreti Dei cogitatio ipsam recrearit: donec peracto magna ex parte vitae suae decursu, sublato jam in caelum Cristo, ne aliquando mens illa Divinorum contemplatione vacua esset, Hieresolymis in insigni illo coenaculo deprecationi et observationibus intenta una cum apostolis reperitur. *Erant*, inquit D. Lucas, *omnes* (Act. 1.) *perseverantes unanimiter in oratione, et obsecratione, cum mulieribus, et Maria matre Jesu*.

Haec, magna cum sint, praeclaris semper Deus beneficiis ornare solet, qui in sanctis suis omnibus gloriosus, ut in matre tamen praecipue divitias gloriae suae declararet, eximiis virtutibus insignem, amplissimis hodie triumphis et clarissimo gloriae ornamento decoravit. Cui cum ingens illa thesaurus esset in caelo reconditus, ad illum Divinitus vocata, e vivis felicissime excessit, ea nimium morte, quae vitae honestissime sanctissimeque actae consentanea fuerit. Et quod nobis de Dei matre pie credere liceat, reassumpto incorrupto corpore ad vitam revocata, ut non solum anima, sed et corpore, gloria donaretur, tot hodie laudibus, tantaque beatorum omnium gratulatione in caelum assumpta est: ut vere nova quaedam lux caelo ipsi illuxerit, cujus splendore caelestis patria illustrata sit, et sancti novos ac gratos novi gaudii fructus perceperint. Quid enim potuit sublimius excogitari, et unde major ad illos laetitiae causa accederet, quam eam caelis praesentem vidisse, cujus in terris praesentia ipsis etiam angelis quamgratissima fuerit? cujus colloquio usus in terris Gabriel, hoc ipso nomine celeberrimus laudatissimusque sit habitus? Qui omnes in officio fuerunt, et ascendentes de deserto majestatem admirati, quae tam insolitis deliciis afflueret, et dilecti sui innixa potentiae, virtutem ac praestantiam dignitatis ostenderet, suis quisque laudum titulis caelestia regna petentem efferentes, illi celsitudinem gloriae, et sibi recens felicitatis genus gratulabantur. Quod si aliquis cogitatione repetat, quanto totius populi applausu, quam splendidis choris, quam ornatis, quam vario musicae instrumentorum genere testamenti arcam in civitatem suam voluerit David introductam esse: is plane intelliget, non defuisse virgini magnificos angelorum choros, non splendidam sanctorum cohortem, non centum quadraginta quatuor millia tenentium citharas in (Apoc. 14.) conspectu throni et seniorum, et ante sedem et seniores cantantium canticum novum: quae non arca illa testamenti, sed sacrarium fuit aeterni numinis, non legis Mosaicae tabulas reconditas et servatas habuit, sed evangelicae legis et salutis omnium autorem magnificentissime ex se protulit; quae non in terrenam hanc Hierusalem a Davide, sed in caelestem illam omnibus bonis affluentem a Christo, qui matrem unice colebat, inducebatur.

Quid vero referam igneos Heliae sursus, equos igneos, et turbinem igne ardentem, qui cum totus zelo divini cultus exarsisset, hoc novo genere spectaculi in caelum sublatus est? cujus tum fervebat religionis amor, ut illud aliquando dicere fuerit ausus, (sic enim de eo divus Hieronymus loquitur) se solum inter prophetas Dei relictum fuisse. Quos ego ignes cum ferventi caritatis ardore, quo aeternas hodie regiones Deipara virgo petit, conferendos esse non censeo, quae Divino amore flagrans ascendit, velut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et turis, et universi pulveris pigmentarii, Spiritus sancti igne accensa, ut vere quasi myrrha electa dederit suavitatem odoris, et odor vestimentorum ejus, sicut odor turis, omnibus suavissime spiraverit; et, quod Helias de se assereret inter prophetas Dei, sola ipsa relicta sit inter observatrices Divini cultus foeminas, quae Divinis beneficiis omnes facile superaret; quae pro lucidissimo illo lucifero, qui mane oriebatur, affectata tamen tyrannide infelicissime de caelo decidit, nova hodie oritur aurora, quae discussis jam ab initio omnibus peccati tenebris, et caelesti nunc gloria splendens ac rutilans, ad intuendam clarissimam pulcherrimamque summi boni lucem nos ducit; quae non superbo et elato animo super caeli sidera exallat solium suum, non montem testamenti, et latera aquilonis ambit, non similitudinem Dei tyrannice affectat, sed miti ac humili animo, omnibusque virtutum numeris absolutissima, solum nacta est omnibus caeli syderibus excelsius, ad verticem caelestis montis Sion, et in ea Dei similitudine, quam ejus genitricem assecutam fuisse decuit: ubi repletur in bonis desiderium tuum, ubi magna est gloria tua in salutari tuo, ubi gloria et honore coronata satiari ubertate magnificentissimae domus istius, e quo honorum omnium torrente nos omnes abunde potare possis: *Concupiscit enim et deficit* (Psal. 83.) *anima nostra in atria Domini, et melior est dies una in atris tuis*

super millia. Ubi tot te caeli procerum multitudo multo supra se elevatam venerabunda suspicit, colit, observat, teque augustam caeli reginam profitetur. Tu in caelesti ista ecclesia triumphis ornata, militantis hujus ecclesiae suscepto patrocinio, ipsius causam agis.

Haec enim est, patres, cujus beneficio nostrae huic ecclesiae multa subinde ac varia bona obveniunt, quam non destituit protectione, sed fovet, tuetur, amplectitur, ut in afflictis ecclesiae rebus solatium magnum in ejus praesidio positum esse experiamur. Illo enim ascendit fructus terrae sublimis, quod divus Bernardus pie et graviter dixit, unde ad nos data optima, et dona perfecta descendunt: qua caelestium bonorum communicatione ecclesia nostra vim suam omnem, et auctoritatem conservatam retinet. Tanta est ejus cum superiori illa connexio, ut duabus inter se apte cohaerentibus ac colligatis, felice quodam foedere humana Divinis, terrena caelestibus, ima summis copulentur.

Haec enim militans ad illius caelestis exemplar expressa, in illa vim suam fundatam atque optime constitutam habet: haec illa subest, ab illa pendet, illius similitudinem gerit; et ut ad illam felicissime aspirat, ita ab eadem illa assidua moderatione gubernatur et regitur. Adeo ut illud mirum quibusdam maxime videri aliquando soleat, (ut ad hoc tandem nostra etiam descendat oratio) qui fieri possit, ut in tanta utriusque ecclesiae consensione tot quotidie lites, tot hominum dissidia nostra ecclesia oboriantur, quibus eam tam acriter premi ac divexari videmus; cui cum Divinum praesidium nec defuerit unquam, nec hoc tempore, aut in posterum defuturum sit, multa tamen ejus difficillima tempora extiterint, quibus variis agitata et concussa tumultibus, vix ullam pacis aut olii spem habuisse videretur. Ne quid de nostro hoc tempore dicam, quo multi liberioris vitae appetentes, excusso fere suis cervicibus suavi ac miti jugo Christi, vix ulla lege, nisi quam ipsis suo sensu interpretari liceat, et ad suos affectus torquere, contineri volunt. Quid? An non Deus potenter ecclesiam suam tuetur? an non ingens est et infinita praesidii Divini vis? Est quidem, patres, est, inquam, ac proinde firma et constans mansit semper ecclesia. Quod vero ejus pace perturbata, angustior aliquando, et brevioribus solito terminis contracta fuerit: tantum abest, ut ob id Divini praesidii viribus nostra existimatione quidquam detractum esse debeat; ut hinc maxime immanensa Dei potentia eluceat, cum in mediis persecutionum tumultibus, rebellantibus multis, et omnibus suis machinis in ecclesiam contententibus, servatam ejus auctoritatem, et nihilo imminutam videmus. Communis autem ereptae pacis culpam utinam in ipsos tantum seditionis autores rejiciendam esse existimare possemus! Sed illud maxime vereor, quod vestris tamen sententiis, patres, decerni potius, quam mea velim, ne fortasse aliqua etiam ex parte ejus rei causa illis imputari possit, quos oportuerat in ecclesia pastores esse vigiles, qui universo gregi diligenter attendentes, ad versus hominum scelera proposito ad virtutem clarissimo exemplo constanter dimicarent: quos neque principum favor, neque propriae utilitatis appetitus, neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque periculum, neque gladius, a caritate Christi separarent; qui solam in functionibus suis obeundis et tractandis, Christi et ecclesiae rationem haberent. Plurimum enim refert, quales hi sint, et quanta animi magnitudine ecclesiae dignitatem defendendam suscipiant, qui primum in ea locum obtinuerunt. Ut enim vitiorum contagia facile serpunt ad pluri mos a primariis viris profecta: ita virtutis exemplum non solum ab omnibus commendatur, sed illis etiam maxime prodest, si a claris autoribus fuerit exortum. Quod cum semper necessarium sit, in hac tamen tanta temporum difficultate tantum habet momenti ad sedandas rerum discordias, ut haec in re spes omnis colata sit pacis et quietis, si in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiae, hominum improbitati restiteritis, fidemque vestram et integritatem omnibus probari sedulo curaveritis.

Haec enim praecipua est ratio tuendae religionis, quam apud eos neglectam et prostratam videmus, qui sublata morum aequitate, arbitrio suo et voluntati fraena laxarunt. Oppressa religione quid, quaeso, integrum remanere poterit? Judicent ii, apud quos simul atque obtinuit religionis neglectus, jacuit statim contempta legum severitas, mos majorum sublatus, fides Deo data et obstricta violata est, vixit unusquisque suo sensu et arbitrio, ut nulla pietas, nullus metus, nullus pudor tenuerit homines; direptae ecclesiae, excisa monasteria, rapta bona; ut nihil fuerit in tanta promiscuae plebis atrocitate, quod metuendum esse videretur, quod cursum tantae audaciae retardare posset. Ingentem sane calamitatem, quam quoties in mentem revoco, magnae alicujus ruinae metus sese in animum ingerit, ne tot malis offensus Deus, atrocissimas aliquando corruptae religionis poenas exigat. Quis enim non censeat ea rejicienda non fuisse, sed ferenda potius libenter, quae non

dico, tulerunt tot proceres, tot heroes, tot lumina religionis, sed introduxerunt in ecclesiam, et caelesti sapientia, Divinaque autoritate, ad salutem omnium constituerunt? At quinam viri? Doctrina excellentes, sapientia clari, pietate conspicui, sanctitate verendi, quorum aliqui non dubitarunt pro evangelii veritate, pro Christi nomine, et ecclesiae dignitate, sanguinem suum profundere. Horum pietatem, doctrinam, autoritatem, ad revocandos in ecclesiam illorum animos, quos Christus una nobiscum redemit, plurimum posse debere, quis non videt? Ut unum omnes caput in uno corpore, non distracto illo quidem et diviso, sed arctissimo vinculo caritatis conjuncto, agnoscamur, Vestrum autem erit, patres, quos ad ecclesiae autoritatem propugnandam spiritus Dei in hunc locum collegit, illius dignitatem diligenter ac sedulo cogitare, qui aliorum duces et antesignani, quo validiori tempestate jactatur, ac quo minus ingentibus copiis atque praesidiis oppugnari desinit, hoc majori studio et diligentia suscepti a vobis muneris meminisse debetis: ut ea sit ratio et magnitudo animorum vestrorum, ut nullum vos incommodum a vera laude abstrahat, sed in excellenti ecclesiae dignitate, omnia ad gloriam splendoremque revocetis: ut nulla neque in periculis fortitudo, neque in agendo industria, nullum in providendo consilium, aut ulla in conficiendo celeritas, a vobis praetermissa fuisse videatur. Haec enim fuerunt semper clarissimorum hominum consilia et facta; haec de eorum virtute audivimus, haec accepimus, haec legimus: neque eos in laude esse positos videmus, quorum insignes conatus in medio cursu sunt fracti, et leviter inconstantiae vitio a rebus optime inchoatis resilierunt: sed qui autoritate, fide, constantia, magnitudine animi, in rebus ecclesiae promovendis perstiterunt; ii graves, ii praestantes, ii duces, ii ecclesiae principes semper sunt habiti.

Quibus animi virtutibus ut quisque vestrum instructissimus est, ita enitendum ei maxime fuerit, ut ad excellentem earum laudem provehatur. Posita est enim in spe atque expectatione istius concilii ecclesia, in quo tum afflictis rebus opem, tum oppressis subsidium aliquod inveniat: ad quod ipsum vos maxime adhortatur Julius summus pontifex, cujus nulla res tanta fuerit, quae non regi consilio, virtute confici, et autoritate conservari possit. Idem contendit summo studio Carolus imperator augustissimus, cujus eximiam ac Divinam animi magnitudinem in componendis dissidiis, in concilianda pace, et ecclesiae dignitate defendenda, omnes abunde cognovistis. Quod cum humanis viribus, non dico, confici, sed ne cogitatione quidem concipi possit: summum Dei optimi maximi praesidium communibus omnium votis imploremus, quod inexhaustae ipsius clementiae fide speremus nos facile consequuturos esse, beatissima praesertim virgine auxiliatrice nostra, suis nobis precibus suffragante, quae ut solet exorabilem se nobis maxime praebere, in conservanda certe religione minus sua ope est desertura. Quo fiet, ut et dissidia sedari facile possint, et constabilita una atque eadem communium consiliorum et voluntatum societate, communitotius ecclesiae tranquillitati diligentissime consulatur.

VII.

DISCURSO DEL DOCTOR FRANCISCO HEREDIA,

LIMOSNERO Y PREDICADOR DE LA IGLESIA DE TARAZONA, PRONUNCIADO ANTE LOS PP. TRIDENTINOS EL DIA DE LA FESTIVIDAD DE TODOS SANTOS DEL AÑO 1551.

Ea est reverendissime et illustrissime legate, illustrissime cardinalis, ac princeps Tridentine, gravissimi praesides, illustrissimi sacri imperii principes electores, clarissimi oratores, amplissimi augustissimi lux, is nos ambientis ornatissimae coronae splendor, ut et ad claritatem nihil illustrius, et ad gloriam nihil honestius, et ad majestatem nihil excelsius, nihilque augustius esse possit. Quo fit, ut quum considerem quanta reverentia debeat tam sacrosancto venerandoque coetui, ubi tot sunt ecclesiae cardinales, et principes, tot praesules, luminaria clarissima, et ornamenta christiani orbis, tot doctores eruditissimi, alique doctissimi et christianissimi viri, ubi demum verba facere solent viri eruditione juxta ac eloquentia clarissimi: non possum ego propriae indignitatis et imperitiae conscius non vereri, ne a vobis existimer imprudentior, quem rem magnam sane et arduam aggredientem, ac periculosae (quod ajunt) aleae, nec deterreat pertractandae rei ineffabilitas, quae om-

nem ingenii ubertatem excedit, nec dicendi facultatem discutiat loci hujus celsitudo, ubi orbis iudices sim habiturus audientes. Verum tametsi me, patres, non lateat, et quam arduam provinciam is suscipiat, qui se unum vobis omnibus silentibus praebet audiendum, et (quod pene oculis video) quam sit durum in tam celebri spectaculo aut labi, aut deficere: non potest tamen, non esse mihi per-suasum, adeo vos esse divinarum rerum amatores, adeo sanctorum laudibus deditos, adeoque eorumdem addictos venerationi, ut quoscumque mea haec oratio defectus habeat, levissimos eos permittosque judicetis, in bonam partem omnia semper interpretantes, dum aliqua tamen ex parte purgatis vestris auribus aliquando satisfaciam. Cum praesertim ea sit vestrae naturae singularis benignitas, ut libertatem afferat, ministretque fiduciam, nec minus recreet dicturos humanitas vestra, quam deterreat severitas.

Audebo igitur haec spe et fiducia fretus, obire munus hoc mihi delegatum, et hoc onus laeto suscepere animo. Onus dixerim, sum enim de perpetua dicturus omnium sanctorum foelicitate, quorum festivam hodi omnique dignissimam veneratione, et alacritate commemorationem, sancta ecclesia celebrat. Quae est res scitu dignissima, ita etiam ardua ac difficillima, non mihi modo, cujus vires in immensum superat, verum et cui vis vel eruditissimo atque ad dicendum exercitatissimo. Super praeses et patrons, prius nobis omnibus est invocandus, ut, qui infantium labia solvere non est dignatus, loquendumque ora linguarum generibus et sermonum interpretatione exornare, labia mea aperiat, ut os meum annuntiet laudes electorum suorum, et nobis omnibus, quae sibi grata fuerint, universaeque ecclesiae profutura inspiret. Caeterum, quoniam haec solet dona largiri Deus, assiduis augustae illius aeli terrarum reginae Virginis Deiparae precibus exoratus, quae est unicum post filium beatorum omnium decus, et mortalium spes, dulceque perfugium: hanc adaeamus, atque ei, quae tam est foelicer beata, tam veneranda, ut ejus se pedibus, supernorum omnium civium beata celsitudo veneranda submittat, Angelicam salutationem, ut opem nobis necessariam impetret, fixis humi genibus rono sinceroque corde, de more offeramus. *Ave Maria gratia plena, etc.*

Quamvis ac omnes conatus nostri spectent, Patres sanctissimi, ut bene beateque sit nobis, adeo ut beatitudinem nemo non appetat mortalium, verum qua via ad eam sit incedendum, quibusque in rebus sit sit non omnibus exploratum habetur, nec inter ipsos quidem philosophos in quo ea consisteret, conveebat: quum alii, in corporis, in fortunae alii, alii in animi bonis, eam collocabant, et beatum (Psal. 13:) *dixerunt* (ut psaltes inquit) *populum cui haec sunt*, nimirum salus, potentia, honores, opes, et voluptates. Quamobrem quum nihil stultius esse possit, quam quod falsa quis opinione sibi videatur blus: mater sancta ecclesia, caelesti edocta magisterio, ponit hodie nobis ob oculos veram illam nectorum foelicitatem, atque vias, quibus ad eam pervenerunt, quo haec nos contemplati, falsaeque honorum umbras, quas pro veris, ac summis donis caeci amplectimur, et illam beatam patriam in qua vera sunt solidaque bona anhelemus conscendere. Atque ob id, eam nobis proponit evangelii lectionem, quae quo pacto haec omnia vera bona et intelligamus et affectemus, aperit. Ita enim referente Matthaeo) legimus. *Videns Iesus* (Matth. 5.) *turbas ascendit in montem, et quum sedisset, ceciderunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum docebat eos.* Sicut Moses, quum populo esset antivan (*Exod. 24.*) illam legem proditurus, montem ascendit: sic caelestis ille princeps, ac dominus oster Iesus Christus, novam daturus legem, non austeram sed suavem, non Iudaeis solum, aut uni tantum, sed universo hominum generi, quum (inquam) novam docturus esset doctrinam, in qua et proferebat naudita et polliceretur ingentia: congruum sibi delegit locum, nempe montem, ut vel ejus celsitudinis manifestaret, ardua omnia esse atque caelestia, quae tradebat: ex quibus inde vius ad aeternam foelicitatis montem celebraretur ascensus, et ab imis homines subveherentur ad summa. Et quum seisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. O sessionem admirabilem, o felix concilium Christi et apostolorum, ubi tam caelestia edidit caelestis doctor et inaudita decreta, contra vanam illam eruditam, et eruditam vanitatem sapientium hujus mundi contraque falsas de foelicitate opiniones.

Primum hujus sessionis decretum fuit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum* Secuum, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Tertium, *Beati* (Ezech. 40.) *qui lugent*, et in hunc modum alia. Octo gradus vidit Ezechiel, per quos in templum erat ascensus, totidemque hic pandit rverter noster, per quos certissimus patet ad caelestem domum aditus, quum agit in iodierno vangelio praecipue de beatitudine viae, quae in merito consistit, et beatitudinis nomen habet, quod per eam mereamur aeternam, meminitque regni caelorum, saturitatis, visionis

Dei, mercedis copiosae in caelis, quo solidam ostendat patriae beatitudinem. Vidit sanctissimus patriarcha Jacob scalam (*Gene. 28.*) ab imo solo ad caelos usque protensam, multorum graduum serie distincta, et dominum innixum scalae, angelosque per eam ascendentes descendentesque. Quod ut nobis angelicam affectantibus viam facilitare liceat, alteram extruxit Christus, per quam angelici facti, ad paradisi deducamur gaudia, eaque de terra surgit, ad supremum usque caeli fastigium, quae tametsi paucis sit gradibus distincta, magnitudinis tamen est immensae. Inferior pars innititur terrae, quum dicitur, *Beati* (*Matth. 5.*) *pauperes, Beati mites, Beati qui lugent, Beati qui esuriunt, et sitiunt, Beati misericordes, Beati qui persecutionem patiuntur.* Superior vero, et nubes et caelos penetrat, et divinorum contemplatur arcana, quum promittitur regum caelorum, visio Dei, merces denique in caelis copiosa. Quod si hujus mirabilis scalae, si praetorum eminentiam decretorum videre cupis, id Matthaeus ostendit, quum inquit *et aperiens os suum docebat eos.* Si docendum enim erat, os quidem aperire oportebat; quorsum additur, *aperiens os.* Id quidem, quamvis recte interpretatus (*Chryso. in c. 5. Matth. Homil. 6.*) Chrysostomus adjutum hoc esse dicat, quia dominus non quum loqueretur modo, verum etiam quum taceret, doceret: illud tamen et hac ratione additum esse existimari potest, nempe ut evangelista significaret, quam sit haec magistri caelestis doctrina notatu dignissima, ut pote nova, nec ullis audita saeculis, quam perfecte mirabilis et mirabiliter perfecta: nam potissimi duo sermones, quos evangelistae scripserunt sunt illi, alter quem Ioannes narrat capitibus, 14. 15. 16. 17. alter hic per tria descriptus capita super eo dicit Augustinus (*Augus. in serm. domini in monte*) quod quicumque pie et sobrie hoc est prudenter rem hanc expendit, is inveniet in hoc sermone quantum ad bonos mores pertinet et viam Christianae vitae perfectam. Aperuit igitur Iesus mellifluum illud os, de quo illud est proverbium, *vena vitae, os justi.* Vena (inquam) et canalus, unde oceanus et mare magnum *aquae* (*Prov. 10. Ioa. 4.*) *salientis in vitam aeternam* derivatur, unde fontes effluerunt, Malthei, Marci, Lucae, Ioannis Pauli et aliorum, unde sanctos latices Graecia hausit, quum Dionysium, Irenaeum, Basilium, Athanaum, Chrysostomum, Epiphanium, et Damascenum produxit; unde Africa irrigata germinavit Iertullianum, Cyprianum, Augustinum, et Fulgentium: Dalmatia Hieronymum: Italia Ambrosium (Gregorium: Hispania, Isidorum, Leandrum, et Ildefonsum: Gallia denique Hilarium, Prosperum, et alios. Deum aperuisse os scribitur, ut quum (*Hebrae. 1.*) multifarie multisque modis, olim Deuscutus fuisset patribus per prophetas, extremis diebus sacro filii sui, summique caelestis legati e nobis loqueretur, quum caelestem illam planeque divinam philosophiam eramus audituri, de contemptu earum rerum, quarum gratia mundani homines nihil non et faciunt et patiuntur, atque caelestibus decretis, certissimisque viis, quibus veram consequi possemus felicitatem.

Orsus est autem Iesus docere a commendatione earum virtutum, quas mundana pientia et despiciet et fugit. *Sapientia enim mundi stultitia* (*1. Cor. 3.*) *est apud Deum,* et quae in Christo putatur stultitia, illa est, quae sapientiam vicit mundi, per quam *placuit Deo salvos facere* (*1. Cor. 1.*) *credentes.* Sapientia mundi felices existimat, qui quod aestimatione opibusve alios praecedant, gloriantur, qui elati, sibi que omnia tribuentes semet superbe efferunt. At sapientia Christi foelices praedicat pauperes spiritu, qui nihil habentes elati spiritus, sese dejiciunt atque emittunt, totique a Dei pendent voluntate, qui honores (quorum cupiditate quidam inflammanur) ta contemnunt, ut nihil inanius esse, nihil levius existiment: divitias autem vel Dei causa pro apostolorum relinquunt, vel ad eas cor suum non apponunt, nec inde superbiunt. Sapientia mundi felices appellat immites ac feroces, et qui aliis mala inferunt, qui reddunt malum non tantum pro malo, sed etiam pro bono. Sapientia autem Christi (*Rom. 12.*) contra, nempe eos, qui mites sunt, placidi, benigni, faciles ac suaves, qui vincunt in bono malum, qui tranquillitatis animi causa, etiam laessiti non irritantur, sed ferunt injuriam. Sapientia mundi felices dicit quibus ad votum hic arrident omnia, quos tantum abest ut impiorum pudeat facinorum, ut laetentur potis, quum male fecerint, et exultent in rebus pessimis. At sapientia Christi eos nominat felices, qui agent, quibus (*Prover. 2.*) sancta sunt suspiria et lacrymae beatae nimirum ex percepta Dei dulcedine, cujus absentiam non sine tristitia ferunt, ex desiderioque divinae visionis, et ex miseriarum praesenti vitae ac divini gaudii contemplatione, quique dolent, quod tot mala in se et aliis aeternae vitae contraria assidue emergant, atque sese ultro orbantes delectationibus terrenis studio angelicae pietatis propter Deum, vitam transigere in lacrymis et afflictionibus bonum ducunt. Sapientia mundi felices putat, qui propriae justitiae innitentes, coram hominibus videntur justis. Sed sapientia Christi eos pronuntiat felices, qui sic esuriunt et sitiunt justitiam, ut sine satietate appetant semper id

omne, quo vera paratur aeternaque vita. Denique (ne longum faciam) beati a Christo praedicantur *miseri cordes, mundi corde, pacifici, et qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Ac demum qui bene viventes, ab improbis hominibus (ob id quod bene et in Christo vivunt) interim male audiunt, quibus omnibus aeternitatis pollicetur stipendia, et mercedem in caelis copiosam.

Evangelicam lectionem summam in multis perstrinxi, ne cum alia subjungam ad quae propero, modum excedat oratio. Nunc, ut sanctorum comprehensorum gloriam proficiendo celebremus, et celebrando proficiamus: primum de statu, quo beata jam requie perfruuntur, disserendum censeo, tractaturus deinde de eorum imitatione, idque non in comptis verbis, sed absque eloquentia flores sequar. Ac si unquam, patres optimi, benignos vos et attentos praebuistis, id maxime omnium praestandum vobis est hodie, quando ea de re acturi sumus, quae et sanctorum est corona, et laborum nostrorum merces, et quae vitae nostrae brevitatem aeternitate consolatur.

Multa sunt eademque praeclara quibus immensa Dei clementiae electos suos mirum in modum illustravit, sed illud longe est praeclarius, et quod admirari et laudare possumus, enarrare autem non valemus, nempe quod eos sibi ipsi perpetuo in caelis univerit ac foelices reddiderit. Quid enim est, quod verbis dici aut mente concipi possit, aut praestabilius, aut illustrius, quam adeptio et possessio summi boni? quam foelicitas sanctorum? quibus ita ad Dei faciem contuendam et admirabilem cum eo principio, a quo emanaverant, unionem, datum est foeliciter pervenisse, ut impletus in eis videatur circulus ille amoris quem Hierotheus, divusque Dionysius dicebant, circulum (*Hieroth. Dionys. lib. de divinis nom.*) esse bonum, a bono in bonum perpetuo revolutum. Namque quum Deus optimus maximus nedum principium sit universi, verum medium etiam et finis: principium quidem, ut creat, seu producit: medium, ut creata, seu producta ad se ipsum retrahit: finis vero, prout redeuntia perficit: fit inde, ut unus continuus habeatur circulus, qui a Deo incipiens, transit in mundum, in Deum denique desinit. Id quo fiat dilucidius, consideremus, quod regem illum a quo universa et creata sunt et pendent, bonum, pulchrum, et justum nuncupamus. Bonum (inquam) ubi creat: ubi vero allicit, excitat, atque rapit, Pulchrum: ubi autem pro cuiusque merito, complet, et perficit, Iustum dicimus. Quare dum ex amore electos condidit Deus, ab eo tantquam a perenni fonte effluentes: ac deinde, quum in eundem refluent, suam illam originem repetentes, per amorem, charitatem, et beatitudines evangelicas: postremo vero quum perficiuntur, postquam eodem ipso amore redierunt veluti per orbem ad sui principii principium, in quo jam beati conquiescunt: tunc haud dubie, circulus amoris bonus in eis completur, a bono Deo, in eundem ipsum bonum Deum revolutus. Qui quamvis solus sit cui deest nihil, solus sibi sufficientissimus, solus se ipso contentus, ac infinite beatus: non tamen suam solus voluit habere beatitudinem: sed divitias gloriae suae ostensurus, qui est sua beatitudo, communem facit electis conditionem illam suam felicissimam, quum sibi illos adjungit, ita ut in se, qui bonum est infinitum eos (ut ita loquar) absorbeat, et unum secum reddat: illi vero quasi Deificati, participes fiunt felicitatis illius inaestimabilis quum Deum in seipso possident, habituri semper in eo vitam, in quo et semper, etiam antequam fierent, vita erant.

Mirum tibi forsitan videbitur, et qui fieri possit quaeres, ut tam diversa, nempe (*Ioan. 2.*) creatura et creator sic uniantur? non miror si mireris, mirabilis est enim Deus in sanctis (*Psal. 67.*) suis, sed mirare diligenterque, si potes, scrutare amoris vim, quae tanta est ad uniendum spiritui, ita ad intima dilecti penetrat, ut vellet amantis animus in animum immigrare amati, adeo ut saepe sui corporis deserens ministerium, in dilecto vita habet amor efficaciam, quanto majorem in futura habebit ad copulandum spirituali, dulci indissolubili copula sponsam animam cum dilectissimo sibi eodemque speciosissimo sponso Deo? ubi (ut divus ait Bernardus) quomodo (*Bernardus trac. de diligendo Deo.*) stilla aquae modica, multo infusa vino, deficere a se tota videtur, dum et saporem vini induit et colorem: et quomodo ferrum ignitum et candens et igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum, et quomodo solis luce perfusus aer, in eandem transformatur lumen quam ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in se humanam affectionem, quodam ineffabili modo, necesse erit a semelipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Haec Bernardus. O amoris immensam vim, o beatas animas, quae tali catena vincuntur, tali glutino conglutinantur.

Accedit etiam huc, quod ea est mentis nostrae conditio, nimirum ut feratur naturaliter, in bonum, pulchrum, et dulce, quorum ea est nativa virtus, ut sua quadam suavitate, contemplantis animum excellentius multo quam magnes ferrum ad se trahant. Quum igitur Deus, in quo horum

omnium bonorum sunt thesauri mentibus beatis, sese ineffabili modo ostendit, quantum censes, continuo eas suspensas ad se rapit, et quam indissolubilibus amoris nexibus et caritatis vinculis vincuntur, illi omnium bonorum primae atque exemplari bonitati et ipsi bonitatis essentiae, in qua supereminenter et cum immensa plenitudine extat, quicquid pulchrum, quicquid dulce est, foelicissima ac vivifica vita, aeterna sapientia, lumen interminabile, omnipotens virtus, atque immensae divitiae? Quid Deo ad alliciendum pulchrius? qui totius est pulchritudinis principium, totiusque fons munditiae, cujus speciosissimum vultum, cujus stabilem decorem, astra illa matutina, omnesque (*Iob. 38.*) filii Dei, cum insatiabili semper contemplantes ardore, ardentissime complectuntur, vehementissimeque admirantur, et laudant. O prima, o pura, o vera pulchritudo, o splendor et decor, universa venustans, qui sic, quas tibi eligis mentes, mulces, sic allieis, sic excitas ut delectes: sic delectas, ut delectando rapias: sic rapis, ut rapiendo ardenti inflammes amore, et tibi perpetuis vinculis feliciter unias.

Quod si dulcedinem in Deo desideres, *quam magna* (inquit Psaltes) *multitudo* (*Psal. 30.*) *dulcedinis tuae domine, quam abscondisti timentibus te.* Et ubi est (obsecro) haec suavitatis multitudo, nisi in ipso Deo? qui ipsa est divina dulcedo, quae beatos suavissime reficit, atque in se cum inaestimabili, calidissimoque affectu, suspendit, deglutit, transformat. Ipsa demum est plenissima pax, quae per harmoniacam suavitatem, ea quae turbari solent mulcet, componitque. *Pax est exuperans* (*Philip. 4.*) *omnem sensum*, totique orbi concordiam atque harmoniam, nexum, et stabilitatem tribuens: quippe qui fines supramundanae suae aulae, empyrei caeli, pacem reposuit: laetissima ac securissima tranquillitate, omnes caelestis suae militiae ignitas phalanges, illustresque heroas sibi invicem uniens: in semetipsis stabilit, et in se quoque beat. Quod si auri fulgorem magistra manu tersi sculptique, si argenti candorem, si prata virentia, florentesque arbores, si (quod his omnibus majus est) nitidum Solis jubar, ornata sydera, gratam Lunam, pulchrum coelum, pulcherrimum denique mundi theatrum, videre est gratum, ut in eorum aspectu sic delineamur, perinde ut ab eis rapti, in eaque conversi: qualis (obsecro) erit illa pulcherrimae lucis contemplatio, qualis illa beatorum unio, cum illo summe pulchro, summe dulci creatore, a quo creaturis contingit, ut delectent? O bonitas ineffabilis: o divina pulchritudo: o dulcedo incogitabilis: o pax sempiterna, quando te frui nobis concedetur? quando tantum bonum consequemur? quando nobis dabitur de hoc exilio ad haec tam immensa nostrae patriae bona pervenire?

Hanc sanctorum beatitudinem servator noster hisce verbis saturitatem appellat. *Beati qui esuriunt et sitiunt* (*Matt. 5.*) *justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Non dixit, *Beati qui esuriunt et sitiunt*, honores, opes, aut voluptates, hi enim nunquam saturantur, similes illis, qui quando sitienti aut esurienti dormiunt stomacho, somnis et imaginibus deluxis phantasmata pro rebus ipsis amplectuntur, non intelligentes, mendacia esse quae somniant: putant se comedere, aut bibere, seseque oblectare, at satiantur nunquam, quia non imaginem sibi, sed cibum ipsum flagitabat stomachus: sic profecto *dormierunt* (*Psal. 75.*) *somnum suum, et nihil invenerunt in manibus suis, viri divitiarum, viri cupiditatum, et voluptatum.* Nec mirum, opes enim et saeculi hujus voluptates, quae umbra rerum, aut voluptatum sunt, potius quam verae res aut gaudia vera: inexplebilem hominum aviditatem, et hydropisim vehementer adaugent, tantum abest, ut saturare possint. Hos igitur Christus non vocal foelices, sed eos qui famem hanc et sitim, sic a rebus fluxis transferre conantur ad expectandam evangelicam justitiam, ut nihil ardentius optent, nihil diligentius quaerant. Neque (*Hiero. in Mat.*) sufficit (teste Hieronymo) velle justitiam, nisi justitiae famem patiamur, ut sub hoc exemplo nunquam nos satis justos, sed semper esurire justitiae opera intelligamus. Hinc Ambrosius, signum (*Ambros. in cap. 6. Lucae.*) hoc esse bonum putat, ubi quis esurit justitiam, et silit, eo quod aeger quum in gravi morbo est non esurit, fames autem sanitatis indicium est. Haec igitur justitia evangelica, patres, preciosus fuit ac suavis sanctorum cibus, hic erat illis panis vitae et intellectus, haec, aqua sapientiae (*Eccl. c. 15.*) salutaris. Neque semel aut bis (ut corporis alimoniam) sed momentis singulis, hunc animi cibum in omnibus rebus, diligenter investigabant. Hoc evadebant vegeti in Christo, ac robusti, hoc temperati, hoc invicti, hoc sapientes et prudentes, hoc populos alebant: hic ad res tam divinas quam humanas praeclare gerendas reddebat aptissimos, hic *jugum domini suave, et onus* (*Matth. 11.*) *leve* faciebat, hoc evadebant adeo magnifici, adeo magnanimi, ut illis prae magnitudine sua, minima admodum viderentur illa, quae solent male esurientibus videri quam maxima.

Sed quid? qui sic expetunt justitiam saturantur in hac vita? minime. Non enim Deus replet

hic in bonis desiderium animarum sanctarum, quia nondum explet intellectum plenitudine lucis, non voluntatem pacis multitudine, non aeternitatis continuatione memoriam. Solo namque caelestis edulio visionis veritatis aeternae, et aeternorum potu gaudiorum animus noster implebitur. Id quod significavit aperte dominus, quum dixit: non saturantur, sed *saturabuntur*. Hoc idem proculdubio expressit dicens: *Beati mundo corde, quoniam* (Matth. 5.) *ipsi Deum videbunt*: et non dixit vident. In hac etenim vita, sicut non contingit perfecta permanensque Dei visio, ita nec integra, perfecta que saturitas. Hic enim quis clare, manifeste, et cum perseverantia stabili perpetuaque Deum vidit? Est enim modo nobis absconditus, qui non hominum mentibus tantum, verum etiam ipsis angelicis (*Isai. 45.*) intellectibus est incomprehensibilis, solus seipsum infinite cognoscit, solus perfectissime sese contemplatur, lucemque dicitur inhabitare inaccessam. Et ob id apud Iob scriptum est de (*1. Ad Timot. 6. Iob. 26.*) Deo, quod vultum solii sui teneat, et super ipsum expandat nebulam, quod non ea claritate (ut pulchre divus exponit (*Greg. 26. cap. Iob.*) Gregorius) ab inferioribus cernatur, qua in superioribus dominatur, sed longe major illius sit gloria, quam a nobis comprehendi possit, impediente nos propriae ignorantiae nebula, quae facit ut caligo sit (*Psal. 17*) sub pedibus ejus, sive in circuitu solii, quam expandat ceu latibulum suum. At quamvis hic perfecte Deum non cognoscamus, interim tamen (ne deficiamus inedia) haudquaquam nos deseruit benignus pater caelestis, omnimoda sui circumfusos ignorantia: Quin potius et pabulo fidei nos interea pascit. et dat per creaturas cognitionem, quae necessaria est huic conficiendo itineri quod ad patriam ducit, indagari. Attestant e Paulo, quod *invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quae facta sunt* (Rom. 1.) *intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.*

Ut enim Deus (ait Ambrosius) qui natura (*Ambr. super 1. cap. ad Roma.*) invisibilis est, etiam invisibilibus possit sciri, opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate sua manifestaret. Hinc, sicut ex motibus et administratione corporis, animam quam non videmus, intelligimus: sic ex administratione totius hujus, quam cernimus, fabricae mundanae, tam mirifice conditae, tamque mirifice administratae, architectum ipsum Deum, et intelligamus, et admiremur. Quid enim aliud sunt creaturae quam picturae, quam nutus, quam voces, quam lumina et splendores aeternae lucis? *Videmus* (1 Cor. 13.) *nunc*, teste divo Paulo, *per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*. Deum quidem modo non in se ipso videmus, sed in ejus veluti similitudinibus, nempe creaturis, velut in speculo, per quod ad invisibilia Dei surgimus: velut in vestigiis quibusdam, velut in simulachris, velut denique in quibusdam spectaculis nobis propositis, ut per illa ducamur ad cognitionem divini exemplaris, sapientiae inenarrabilis, artis indeficientis et omnia ordinantis. Prout igitur Dei invisibilia per creaturas cognoscimus, videre per speculum dicimur: at quoniam illa adhuc sunt nobis obscura et recondita in aenigmate illa videmus. Praeter haec autem, non deest etiam nobis fidei certissimum speculum, in quo imagines supernarum rerum intuemur, et ex scripturis ceu per involucrum aenigmatis, Dei mentem subobscure, certe tamen, percipimus. Non est itaque hic locus videndi Deum, quem esurimus et sitimus, clare atque lucide, sed, ut in Threnis dicitur, *in umbra ejus vivemus* (Thre. 1. Rom. 2.) *inter gentes. Ex fide enim justus vivit*, et in umbra Christi, nempe fide, quae veluti bona umbra caligantibus viatorum oculis lucem temperat, et oculus (1. Cor. 13.) praeparat luci. Per hanc itaque fidem, Deum, qui infinita est justitia, veluti comedimus. Per hanc ipsum conspiciamus sicut *per speculum, in* (1. Cor. 13.) *aenigmate*, quem hic *facie ad faciem* contueri non valemus. At ubi venerit, quod perfectum est, comedemus panem hunc vitae cum saturitate. Ubi inter angelos erimus: *videbimus* (1. Ioan. 3.) *eum*, ut ipsi, *sicuti est*, et beati exultabimus in splendore vultus ejus, quando gravi deposito corpore, aut mutato, quando mentis caligine adempta, ipsum et clarius cernemus, et diligemus ardentius.

O beatos caelicolas, qui faciem Dei, id est divinam essentiam (2. Cor. 3.) clare intuentur, et revelata facie gloriam domini, et veritatem illam summam speculantur. Qui cognoscunt mirabilem Trinitatem in una personarum consubstantialitate. Qui cognoscunt aeternam filii generationem, atque coaeternam Spiritus sancti processionem. Qui cognoscunt patris potentiam, filii sapientiam, Spiritus sancti clementiam, ipsius summae Trinitatis unam et individuam essentiam. Ubi intellectus noster, qui sola aeterna repletur veritate, tunc perficietur, quum veritatis claritate illustratus, intelliget aeternum. Voluntas, fruens eo, qui totus est suavis et desiderabilis, perpetua stabilitate, in summo caritatis fervore, qualis est in meridie aeternitatis, ardentissime amabit summe bonum. Memoria, quae hic fluxa est et infidelis, tunc perpetuo tenore in uno fixa bono, omnipotentem tenebit. Tunc igitur tunc, qui nunc *esuriunt, et sitiunt justitiam*, probitatem, rectitudinem, veritatem,

Dei honorem et legem, proximorumque salutem, tunc (inquam) saturabuntur: quum Deus (*Matth. 6.*) beatas animas ad caelestem illam ducet mensam, in qua illis ambrosiam apponet, et super ipsam nectar potandum: id est, essentiae suae et incommutabilis veritatis visionem, atque ex visione, gaudium perenne. O delicias humanis sensibus impervestigabiles. O felix, et gloriosum convivium. O dulces et desiderabiles epulas, o immensas (*Matth. 5.*) opes, quas nec aerugo demoliri lineave, nec fures effodere ac suffurari possunt. Id quod non est in beatis exigua gaudii pars, certos scilicet esse, numquam tam immensa bona sibi defutura, nunquam se tantis bonis carituros. Mirabilis etiam discumbentium ordo in hac supercaelesti mensa, diversos sequitur beatorum gradus: siquidem distribuens Christus a se promissas multifarias (*Ioan. 14. Matth. 20.*) mansiones, suis quemque collocat sedibus: namque qui Deum excellentius amaverunt dum hic viverent, ad majora perducuntur gloriae fastigia. Toto autem Deo frui omnibus datur, omnibus idem datur aeternae vitae denarius, omnes essentiam vident divinam, sed Deum totum, copiosius, praestantiusque possident, quorum major fuit caritas.

Suo praeterea beatitudinis gradu quisque contentus plenusque vivit, nec aliis, quod Deo propinquiores spectet, invidet. Livor enim (ut et Plato in *Phaedro* inquit) a divino (*Plato in Phaedro Gregor. super 3 cap. Iob.*) choro procul abest. Imo vero (teste Gregorio) quid in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultabit. Sed et in hoc mirabile est convivium illud divinum, in quo sine ullo fastidio, iisdem divi illi vescuntur dapibus, quibus in aeternum copiosissimeque exsatiantur. Nobis quidem in hac miseriae vita, rei ejusdem diuturna frequentatio statim nauseam parit, atque ob id nova requirimus oblectamenta, ad quae non cibi, non vina sufficiunt, nisi fames ad vescendum alliciat, sitisque ad bibendum, et tamdiu oblectatio, quamdiu et aviditas permanet. Aeternus tamen amor, quo semper convivae illi caelestes in Deum optimum maximum quasi aviditate quadam afficiuntur, efficit, ut omni expulso fastidio, divinis illis delitiis et caelestibus ambrosiis pascantur, Deoque semper quasi novo gaudeant spectaculo, blanda dulcique fruitione beati. Quid multis? Ibi (juxta Ioannis Apocalypsim) non esurient (*Apoc. 7.*) neque sitient amplius, quia agnus, qui in medio throni est, ducet eos ad vitae fontes aquarum, aquarum, inquam, quae non promuntur e coenosis hujus mundi immundi paludibus, sed e fonte plenissimo atque (*Psal. 35.*) mundissimo divinae virtutis, atque torrente voluptatis divinae, aquarum, inquam, quae non pertingunt solum ad talos usque, genua, renesve ipsorum (ut de aquis Ezechielis legimus) sed in (*Ezech. 47.*) augustissimum illud caelestium voluptatum pelagus avidissime et latissime effusi conquiescunt in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, et in requie (*Isai. 32.*) opulenta. Ibi namque omnia erunt beatitudinis et gaudiorum ineffabilium plena, non solum intellectus et voluntas, sed suo quoque modo, fauces, oculi, aures, manus, totum corpus, denique totus animus, tota mens, ita ut totus intret beatus in illud immensum domini gaudium, (ut Augustini verbis utar) sine tristitia, (*Matt. 25. August. lib. Sol.*) quod continet aeternam laetitiam, ubi erit omne bonum et nullum malum, ubi erit quicquid voles, et non erit quicquid noles: ubi erit vita vitalis, dulcis et amabilis, ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa et certa securitas, segura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix aeternitas, aeterna beatitudo, beata trinitas, et trinitas in unitate, et unitatis deitas, et deitatis beatae visio, quae est gaudium domini Dei tui. Denique, patres ornatissimi, quum Isaias, et astipulatus (*Isa. 64, 1. Cor. 2.*) Isaias Paulus humanarum divinarumque rerum scientissimus dicat, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus se: quid balbus ego et hebes de re tam ineffabili quam cum propheta exclamem? *Lauda Hierusalem dominum, lauda Deum (Psal. 149.) tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.*

O triumphans beatorum ecclesia, o alta Sion, lauda dominum, summe lauda, et laudes itera summas, quod de naufragoso mari ad quietissimum portum, de exilio ad patriam, de tenebris ad lucem, ad optatam denique pervenisti quietem sempiternam. *Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum,* quia roboratis vectibus et inconvulsibilibus seris roboravit portas tuas. Nullus intrare potest inimicus, nullus exire vult amicus. Tuta es, o beata Ierusalem, in arca caeli, non est, quod mundi timeas diluvium. *Benedixitque (Genes. 7.) Deus filiis tuis in te,* non peregrinantur, intus laetantur, benedicti sunt omni benedictione spirituali (*Ephes. 1.*) in caelestibus cum Christo, omni decorati pulchritudine, omni illustrati splendore, omni splendida comitatu cohorte, induti immortalitatis deaurato vestimento, pleni que gaudiorum varietate. *Et qui be-*

mediavit filiis tuis in te, is posuit fines tuos pacem: jam non est timor in finibus tuis, nulla pericula, bella nulla, nullaeque tentationes, quod hostes omnes a muris tuis procul sint: et adipe frumenti satiat te omnipotens, optimo nempe divinae visionis tritico, omniumque rerum copia. Quis igitur, o patres, non illic vehementer desideret esse, habitare, et pasci, tum propter pacem, tum propter adipem, tum propter saturitatem? Ubi formido nulla est, nullum fastidium, nullusque defectus, ubi tua mansio est paradisos, dulcis cibus verbum dulce, et cum aeternitate affluentia maxima.

Reliquum est, amplissimi patres, ut jam de supernorum civium imitatione paucis agam. Quamvis enim de praemiis eorum dici poterant alia multa, sed de re tam sacrosancta nihil temere pronuntiandum. Nec fas est ad curiosas quaestiones, quae hic solent curiosius excitari, revocare, quod Deus arcanissimum esse decrevit, magna esse decrevit, magna esse et admirabilia credi voluit quae electis suis paravit, quae per fidem nunc a nobis cognita, et amare debemus, et sperare, tunc demum (1. Cor. 13.) plenius intellecturi, quum voti compotes facti contemplabimur coram omnia praesentia, atque adeo nobis ipsis conjunctissima: ut sic ea cognoscamus quemadmodum nunc cogniti sumus. Interim tamen eos imitemur quorum beatam vitam miramur. Sequamur eorum exempla, quorum praeclarissimis trophaeis et gaudemus et excitamur: sequemur autem, si cum Christo (ut ipsi) in montem conscendimus. Standum est enim, vobis praecipue, o patres, qui evangelicam docetis justitiam, in contemplationis et spiritualium virtutum apice, Mosen imitati, qui divina contemplaturus, montem non raro ascendebat, ut hauriendo ibi divina mysteria perdisceret, quonam modo se et alios esset rectorus. Unde ad munera actionum bene instructi paratique descendentes, sic subditorum commodis prudenter ac diligenter consulatis, ut nihil omittatis, quo eos ad aeternum salutis montem pertrahatis. Sanctorum etiam montium cacumina, quae prima sunt a radiis solaribus irradiata, illi sunt angelici spiritus, caeterique beati, qui in altissimis regnantes, in primis a sole illo justitiae illuminantur: quorum si vel imitatione consociamini caelesti collegio: quantum (bone Deus) splendor gloriae Christi vos decorabit, illustrabitque? Dii, patres, estis, et filii excelsi (*Psal. 88. et Ioan. 10.*) omnes, invadat igitur animos vestros sacra quaedam ambitio ut parvis contemptis, et mediocribus non contenti, anheletis ad summa, vitam ad exemplar angelicae vitae formantes, sicut sancti Dei fecerunt: qui quicquid in mundo est posthabentes, ultra mundanam illam curiam, ut angelicam etiam in carne ducerent vitam, advolarunt. Igitur si supremum curiae illius regem, ardentissima caritate amplectamini: illius igne, qui edax est, seraphicam effigiem accensi referentis: Si purissimae incumbentes contemplationi, in admirabili hoc opificem ipsum sapientissimum, in opifice vero opificium meditemini: fulgore cherubico mirabilique intelligentiae, luce undique coruscabitis. Angelos denique (qui continuo praesidio nostram tuentur vitam) referetis, si oves quarum custodiam Christus vobis concredidit, a periculis liberetis, et a luporum tutemini voragine.

Ascendite ad montem, o patres, cum apostolis, in quorum vices successistis. Ascendetis autem, si ex eorum benefactis, si ex paupertate spiritus, mansuetudine, esurie et siti justitiae, patientia in adversis, acriores vobis addatis ad virtutem stimulos. In loco campestri manetis, si plebei viderint vos nihilo subditis meliores, sed in monte eritis, si electi ad apostolici honoris culmen sic respondeatis hujusmodi dignitati, ut vita vestra (quam veluti scopum ii intuentur qui in valle manent) sit illis apostolicae vitae exemplar. Ascendetis demum in summitatem montis, si in hac sancta synodo ita Christi gloriam et ecclesiae suae spectatis tranquillitate, ut (non curantes quid hominibus, sed quid Christo, cujus agitis negotium, sit gratum) si opus fuerit, non dubitetis, pro religione, pro veritate, pro justitia, pro caritate, labores, penuriam, contumelias, mortem etiam ipsam subire. Atque (ut semel dicam) omnia facite secundum exemplar, quod ostensum est vobis in monte, ad quem princeps pastorum Iesus, docturus apostolicas oves ascendit, quo vos, qui fidem docturi, moresque extirpaturi corruptos, inter hos convenistis Tridentinos montes: operam detis ut ab eis mundarum aquarum sapientiae salutaris rivi affatim defluant in imas valles, hoc est, sitientes oves: ita fiet, ut irrigatione vestra, ecclesiae terra pinguescat, et animorum aestus, sitisque temperetis ardorem, atque haeresum extinguat flammam. Cumque pastorum insomnes noctes, diesque anxios in montibus ducere, ne quid callidus fur, ne quid luporum astuta feritas, perniciosum moliaturo caro gregi. Vos qui pastorum evangelicorum titulis, ac dignitate estis honestati, quique inter hos agitis Tridentinos saltus, sic custodite oves, quae niveo ac divino vestitae sunt vellere, et caelesti germine perfecundae, ut non modo pro eis tuendis laboriosissimo utamini pervigilio, vestrae quoque vitae dispendio, earum salutem defendatis, ne eas lupi, hoc est, haeretici dissipent, rapiant, dilanent.

Episcopi patres, hoc est superintendentes, curate ergo ut e sublimi hac sacrae hujus synodi specula, veluti boni atque oculati speculatores, vigilesque custodes, procul denuncietis, lupos, hostes sceleratos, schismaticos, atque haereticos, quo se, audita vestra voce, omnes in loca recipiant tutiora, et quae dispersae sunt colligantur et errantes reducantur ad gregem.

Haec ut praestare, patres, possitis, sedete, Christus enim conscenso monte sedit, ut (secundum Augustinum) magisterii (*Agust. in serm. Domini in monte.*) ostenderet dignitatem. O quanta est sessionis patrum in concilio autoritas magisterii. Hanc agnoscite patres, agnoscite, inquam, potestatem qua in hoc loco sancto vos Deus exornari voluit, ut decernatis, definiatis, statuatis, ut judicetis, ut condemnetis, sicut Spiritus sanctus vester et patronus et moderator vobis suggesserit. Agnoscite insuper summum Dei in vos beneficium, quos hac tempestate e numero selegit hominum totius orbis, ut ad sui gloriam destruat et evellatis errores et haereses omnes, plantatisque virtutibus, collapsam religionem (cujus publicum bonum a vobis pendet) in antiquum nitorem revocantes, Christianae reipublicae vitam et tranquillitatem largiamini. Atque si usquam, o gregis Christiani pastores, summus ille pastor Christus vobis est sequendus, si usquam ejus sancti imitandi, si usquam fuit tempus quo vestris sanctis sessionibus, vestra cura et patrocinio orbi Christiano consulendum esset, si usquam ecclesiae calamitates amarissimae deflenda lacrymis, hic et nunc potissimum his omnibus locus est, ubi tantum mare impietatum, dissidiorum, schismatum, haeresum, inundat in Christianam rempublicam, ubi ferus ille Goliath Deo maledicit, ac Israelitico (*1. Reg. 17. Jerem. 20. Daniel. 5. Psal. 78, Thren. 1.*) populo insultat, ubi Phassur in Ieremiam, Balthasar in vasa domini manus extendit sacrilegas, ubi haeretici polluerunt sanctuarium Dei, conspiraverunt in sanctam Romanam ecclesiam, et abstulerunt omnia desiderabilia ejus, Petri sedem vilipendentes, Christi sacramentis detrahentes, patrum sanctorum decreta despicientes, sacerdotes Dei exsibilantes.

Nunc ecclesiam matrem derident filii, domestici spernunt, derelinquunt amici, custodes deserunt, et haeretici impugnant. Nunc impius Ieroboam (*3. Reg. 11.*) insurrexit. Nunc schismaticus populus liberioris vitae appetens, recessit a domo et familia nostri veri David. Nunc novi magistri, prurientes auribus, magistri mendaces, pseudoprophetae, introducunt (*2. Tim. 2. 2. Pet. 2.*) sectas perditionis, dum hic videas Lutheranos, illic Zuinglios, isthic Catabaptistas, et alios ex isto fursure. Nunc non ad Christum cum discipulis in monte, sed ad vitulos aureos, et ad excelsa idolorum delubra, relicta (*3. Reg. 12.*) Ierusalem, relicto Dei templo, neglecta vera religione, communique ordinatione ecclesiae catholicae spreta, miseranda populi multitudo confluit.

Et (quod non sine maximo cordis dolore dicere valeo) hoc etiam infelici nostro saeculo, quidam impugnant, imo vero quidam omnino rejiciunt, sanctorum intercessionem, atque tollunt (proh dolor) eorundem supernorum civium, qui nobis apud Deum praesidio esse solent, venerationem, solemnitates abrogant. De his tamen dicere et si in animo erat, supersedebo: tum ne multis vos, patres, morer, tum maxime, quod hos omnes, qui a nobis dissentiunt, speramus Dei beneficio, in sacrosanctam hanc synodum brevi conventuros, ac divini Spiritus gratia, rationes omnes et fidei et doctrinae nostrae una nobiscum ita probaturos, ut et commune hoc beneficium ecclesiae tranquillitatis tam ab omnibus expetitur, brevi in ecclesia sentiamus, et illi ad sanctorum venerationem excitati atque accensi, illorum intercessione matris vocem audiant, ac ejus mandatis saluberrimisque statutis libenter atque ex animo obsequantur.

Nos tamen interim, (ut eo unde egressus sum redeam) sedulo ac diligenter expendamus. Quorsum servator noster, tam laudet paupertatem spiritus, mansuetudinem, luctum, munditiam (*Matth. 5.*) cordis, esuriam et sitim justitiae, patientiam denique in persecutionibus. Nempe quia sciens neminem gloria et honore coronari debere, nisi qui legitime (*2. Tim. 2. Apoc. 2.*) certaverit, et vincens esse manna illud aeternae dulcedinis, volebat ab inanissimis honoribus, a pravaru cupiditatum venenis, ac caducis sensuum oblectamentis nos abducere, quo expeditius ipsum duces milites sequamur, palmam adepturi. Id quod Paulus egregius Christi miles monuit: *sic currite, inquit, ut comprehendatis. Omnis* (*1. Cor. 9.*) *autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ut sicut in terreno agone qui volunt vincere, se continent a potu nimio, cibis quibusdam, aliisque rebus suavis. Ita et nos omnia impedimenta et offendicula submoveamus, quae cursum nostrum remorari possunt, dum ad bravium festinamus. Atque id summo studio et diligentia consideramus, si ii qui certant in popularibus istis certaminibus nihil non tum faciunt, tum patiuntur, quo plebis applausum, quo vilem et perituram corollam auferant: quanto magis par est eadem facere nos, quo non mox peritura

commoda, non humanam laudem sed plausum a caelestibus aulicis, et immarcescibilem immortalitatis coronam consequamur?

O extremam mortalium dementiam, o caecas hominum mentes, qui non perpendimus magnitudinem, dignitatem, et aeternitatem tanti praemii, verum etiam quum nihil nisi felicitatem appetere videamur, eam tamen propositam aversemur, et tam periculosa alea sic sumus somniculosi, ut advertere nolimus, quam manifeste praecipites in aeternam ruimus mortem, quibus promittitur felicissima ac sempiterna vita: cum qua si haec calamitosa conferatur, vix horulae, vix momenti instar habet. Quenam est haec tam aperta vesania? quae tam manifesta ebrietas? ut confidamus reperiri posse in doloribus voluptatem, salutifera in pestiferis, dulcia in amaris, in mobilibus quietem, vera in falsis, et in morte vitam? nec observamus, quam sint dolosi honores, qui umbram potius quam veritatem felicitatis ostendentes, ideo ad altissimos dignitatum gradus nos extollunt, ut in miseriam et servitum a sublimi fortunae (*Luc. 8.*) rota (cui stabile non est cacumen) capitali ruina subito praecipitent. Quam spinosae divitiae, quae cogitationum suarum punctionibus, tranquillum animum mille curis dilaniant! Quam falsae voluptates, quae ideo suavibus laqueis mentes nostras illaqueant, ut eas strangulent, atque in omnem vitiorum voraginem coenumque prosterant! Quam breve, momentaneum, incertum, umbratile, imaginarium, fugax atque falsum est omne illud quod haec omnia simul (etiam si ex voto affluent) praestare nobis possunt. Contra vero quam magna, quam stabilia, et promissa et parata sunt iis, qui contemptis praesentibus illam suspirant patriam, ubi nihil obest, nihilque deest, ubi erit vita quieta, tristitiae nescia, vita ignara mortis, vita totius elegantiae, et dignitatis plenissima, ubi iusti in perpetuum (*Sapient. 5. Matth. 13. Matth. 22. Psal. 6. Psal. 102.*) vivent, fulgentes sicut Sol, similes facti angelis Dei, ubi saturabuntur, quum apparuerit gloria ejus qui solus desiderii nostri amplitudinem implet, solusque animas nostras beat. Expergiscamur igitur, qui somno tam profundo sumus consopiti, ascendamus, ad montem cum electis Christi discipulis: meminerimus terram non nobis patriam esse, sed caelum, in quo sancti feliciter regnant. Quorum si placet felicitas, placeat et vita. Erudiamur, ut ipsi, ad justitiam evangelicam: contemnamus, ut ipsi, momentaneas voluptates, evanida gaudia, perituras divitias. Atque (ut divus ait Leo) sursum vocatos (*Leo in sermon. de ascen.*) animos, desideria terrena non deprimant: ad aeterna praelectos, peritura non occupent: viam ingressos veritatis, fallaces illecebrae non retardent.

Denique, patres, excitet nos ad virtutem, laborem spes immortalitatis, nam angusti animi atque demissi est, tam gloriosi triumphi honorem contemnere, et qui sub Christi vexillis militamus, stipendium perenne ab eodem expectantes: praeparemur ad agonem mente integra, fide firma, spe certa, caritate perfecta, virtute robusta: nam *regnum* (*Matth. 11.*) *caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, ad quod obtinendum, certandum haud dubie est omnibus, nec levi quidem certamine, sed vobis praesertim, patres, qui hic contenditis, *contra spiritualia nequitiarum*, contra diabolum et angelos ejus, contra injustitiam et impietatem, contraque haereticorum omnium incursus. Magnus est iste agon, in quo spectaculum multis exhibetis. Spectamini enim a Deo optimo maximo agonotheta vestro, spectamini ab ejus angelis et sanctis, spectamini a beatissimo Iulio pontifice summo, nec non a Carolo Caesare imperatore Augustissimo. quorum uterque nihil aliud quam felicissimum huius concilii exitum precatur, et avidissime exoptat, spectamini denique et regibus principibusque universis, et ab ecclesiis et subditis vestris: curate igitur, sanctissimi fratres, ut publicam orbis de vobis spem non fallentes, ita tantorum rerum motus componatis, ita laetam et optatam tranquillitatem reducatis omnibus: ut resipiscentibus, vel profligatis ecclesiae hostibus, gloriosissime et sanctissime triumphetis. Aderit vobis (mihi credite) summus imperator Christus, quem habetis doctorem, ductorem, et victorem: ipsum pro virili sequamini, qui suae vult vos victoriae esse participes. Aderunt et sancti Dei amici et insuperabiles bellatores, qui illustre triumphi exemplum vobis reliquerunt. Quorum si boni fueritis imitatores, (sicut et ipsi Christi) sudorum vestrorum percipietis fructus, laborum praemia, certaminum bravia, virtutis denique amplissimas reportabitis, ac sempiternas retributiones. Dixi.

VIII.

DISCURSO PRONUNCIADO ANTE LOS LEGADOS APOSTOLICOS.

Y TODOS LOS PP. TRIDENTINOS POR EL GENERAL DE LOS RELIGIOSOS MENORES OBSERVANTES,

Fr. Francisco de Zamora (a) en la Dominica segun la de Cuaresma, 22 de febrero de 1562.

VEREOR, illustrissimi ac reverendissimi domini, amplissimique praesules (vereor, inquam) ne mihi hodierno die accidat in hoc ornatissimo purpuratorum ecclesiae patrum consessu, quod evangelium prostestatur in monte Thabor olim contigisse apostolorum praecipuis: qui ad transfigurati corporis contuitum, et ad divinae vocis (ut ita loquar) tonitruum timore perculsi expaverunt. Ita proculdubio ipse hanc praeclaram insignemque circumstantem coronam conspiciens, videor mihi illam coelestem et prope divinam intueri majestatem. Quare stupescit intellectus vestris doctissimis auribus recensere molienti, quae Christus in Thaborea celsitudine divina reseravit mysteria. Verum ipsius voce, vestraque humanitate fretus, hujus celeberrimi montis abditissima, sermonis compendio dicturus accedam.

Sacrosanctae ecclesiae typum montem gerere, divina tradunt eloquia, ac propheticae praesensiones prodiderunt. *Erit*, inquit Isaias, *in novissimis diebus* (Isaiae 2.) *praeparatus mons domus domini, in vertice montium*. Non enim ab re pietatis opera, documenta salutis, reparationis humanae monumenta, quae in catholica modo celebrantur ecclesia, olim a patribus sub miro velamine, in montibus facta leguntur. *Tolle*, inquit dominus Abrahamo, *filium tuum quem diligis* (Genes. 22.) *Isaac, et vade in terram visionis, ibique offeres eum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi*: latent equidem mysteriorum pretiosa monilia. Paternus quippe animus, non solum posteritatis gratia, verum et promissionum spe accensus erat amore. Dominus autem, quem pater tenere amabat, gladio interimii jubet, ac ut concursantibus curis viscera quaterentur seilia, caris ac dulcioribus appellationibus iterum ac saepe repetitis, grandaevi patris suscitantur affectus: ut amoris evigilante memoria adversus animi fidem tota repugnaret carnis militia: *vade*, inquit, *in terram visionis*. Quo spectat tanti itineris diurnitas? quo montis ascensus? equidem, ut spatium certaminis accipiant affectus et fides: amor Dei, et amor carnis: praesentium gratia, et spectatio futurorum: hinc perurgente praecepto, hinc vero paterni affectus perluctante amore. At strenuus ille patriarcha in repromissione Dei non haesitans diffidentia, sed confortatus in fide, non deliberat, non detrectat, hominum non quaerit sententiam: sed subito occupat iter, [puerisque ad radicem montis dimissis, ac filii regressum pollicetur in dubium. Ascendensque montem armatus fide, futurae veritatis imaginem gerens, quod nondum factum fuerat, futurum certo sperabat: adeo ut percontanti filio, futura respondit: de praesentibus requirenti, *Dominus* inquit, *providet sui victimam* (Genes. 22) *holocausti filii mi*.

Quando haec erunt? Tunc enim, quando aeterni patris filius, non ex Sara, sed ex utero procedens paterno: non temporalis, sed ante Luciferum genitus, mortali indutus natura montem conscendet ecclesiae. Ubi tantum domicilio delectabitur montano, quod a sapientissimo Salomone (velut montium accola) jam saliens in montibus, jam transiliens colles decantetur. In monte illo videbitur Deus, magna cum hominibus liberalitate concertans: quando non Isaac mortalis et non moriturus, sed immortalis Deus, hominum inveteratam labem morte dirimet sua: non lignorum fasciculo, sed ponderosa cruce montem conscendet onustus: non arietem inter vepres, sed humanam praeassumptam naturam, diris obsessam spinis tradet sacrificandam. Tantum erat decorandus mons iste, quod Moyses ecclesiae praesagium in illo ut agnosceret, calceatis pedibus ceu ad sancta sanctorum ne accederet, prohibetur a Domino: ibidemque oratione velut clypeo munitus et hasta, habito de Amalechitis triumpho, victori Deo aram dedicavit insignem. Si igitur haec omnia patribus in figuram

(a) En casi todos los catálogos se le apellida equivocadamente *Ramoza*.

contingebant: quid figurabant? quid portendebant? quid sibi volebant orationes, benedictiones et maledictiones? quid sacerdotes sacris induti vestibus, aliis vero spoliati? quid erectae, oleoque dilibutae arae, foci, victimae, sacrificia, sepulera, et id genus similia in montibus celebrata? Quorsum denique Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, David, ceterique proceres ac patres antiqui in montibus sacrificarunt? Typici erant montes et figuram sublimis gestabant ecclesiae: nec alio tendebant illa montana mysteria, nisi eo, quia in monte beneplacitum est habitare Deo. Et licet omnium rerum opifex, et orbis fabricator omniscius (juxta Platonem) totius mundi ambitum, sibi pro sacello construxerit ornatissimum, suam sibi praecipuo delegit ecclesiam, et hanc praemonstrabit in monte, ad cuius dignitates capescendas, *assumpsit Iesus* (Luc. 9.) *Petrum, Iacobum, et Ioannem fratrem ejus, et duxit illos in montem.*

Animadvertite obsecro patres: Christus allicit, Christus sustulit, et Christus montem secum jussit ascendere. Non eos sane qui in depressis et humanae vitae caliginosis peccatorum vallibus perstant: nec qui suos non sugillantes affectus, talem ultro quaerunt honorem: nec qui depravatas opiniones stilo ferreo in ungue adamantino supra latitudinem cordium eorum exaratas habent: nec eos denique qui carnis libertatem, ejusque effraenem cupiditatem, sub praetextu sanctitatis in pusillos disseminare conantur. Tales enim sunt falsi fratres, qui (ut inquit apostolus) *subintroierunt explorare* (Galat. 2.) *libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu: ut in servitute carnis nos redigant.* Sed quos duxit? Illos proculdubio, qui tamquam justitiae cultores, proceresque divini exercitus, primipilidae tribuni vitiosum nihil admittant. Illos qui nec gloriae studium, nec terrenarum rerum cupiditas, nec principum applausus, nec etiam mortis metus e monte depellat. Illos qui in vera fundati humilitate, successores sibi in regimine forent ecclesiae. Nam superbe dominari subjectis, non Christiani viri, sed gentium gerit officium. Illos insuper assumpsit, quos indefecatae sanctitatis, et purgatae virtutis permansuros praevidebat. Petrum nempe, qui et si ad ancillae vocem pertimuit, prolapsus tamen de praecipitio revocans pedem, quae negando perdiderat, amare flendo recepit. Iacobum, qui vitia quaeque supplantet, seipsum vincere discat. Nam tam foedum est a semetipso vinci, quam pulchrum reliquos superasse. Ioannem vero, qui virginitatis privilegio caeteris pollet, ut illecebras quasque coerceat cupidinis: carnis enim infraenis cupido de ecclesiae montibus quamplures praecipites dedit, et a Christiana religione transfugos effecit. Secum eos duxit (intimam praelatorum cum Deo familiaritatem ostendens) qui et si humanis oculis, corpore velut caeteri peregrinentur, miro quodam deificentur numine, supremis etiam creaturis condonatum nusquam. Cui unquam angelorum dictum est: *Quodcumque ligaveris, erit ligatum, et quod solveris, erit solutum?* Moyses obnoxio populo instanter dimitti posebat: Christi vero vicarius judiciaria fungens auctoritate, quae Christus sui sanguinis effusione promeruit, alumnis dispensans ecclesiae, non clamat dimitte, nec ut absolvat precatur: sed, inquit, absolvo. Ad cuius vocis sonitum inferorum profligantur horribiles furiae, angelorum tripudiant agmina gaudio. O suprema hujus montis dignitas, o regale sacerdotium.

Sed: quia alternae sunt omnium rerum vices: nec aliquod adeo prosperum aut sublime, quin gravissimis tangatur aculeis: nec quid tam durum, quod praemii securitas (*securitate*) non maturescat: Christus optimus maximus praelatorum labores prospiciens, amplissima illis prae oculis praemia posuit, dum transfiguratus ante eos, in corpore mortali, gloriam immortalitatis ostendit: et suae majestatis gloriam, jamdudum velamine carnis obtectam, humanis oculis conspiciendam detexit. Nulla profecto ab orbe conlito angustior visio mortalibus innotuit, quae futurae beatitudinis consignato arrhabone, temporarios ad sufferendos labores, animi desiderium tantum excitaret. Sic illa fruens Petrus, ab illo poposcit non dimoveri loco. Et quia lex et prophetae, hujus montis abditissima complectebantur mysteria, *ecce apparuerunt* (Luc. 6.) *eis Moyses et Helias, loquentes cum Iesu: dicentesque excessum quem completurus erat in Hierusalem: ut ecclesiae mysterium absconditum, manifestum faceret mundo.* Mirabantur quo amore ductus, rimas ac fissuras, quas in ecclesiae monte antiquus fecerat serpens, pretiosissimo cupiebat ocludere sanguine. Non in fiscella scirpea confecta, bitumineque linita (velut Moyses) sed ligno crucis, suo sanguine rubricato. Non virga mare percutiens rubrum, sed ira furoris Dei sacrosancta ejus humanitate percussa, ut praedestinatorum coelus ad supremam traduceret patriam. Non minas Iezabelis sanguinolentae (velut Helias) fugiens, sed impiissimis ultro se offerens Iudaeis. Non sub junipero, pane confortatus subcinericio, sed aceto felle mixto propinato, mente integra, superata carnis mortalitate, expetivit animae suae ut moreretur. Referebant insuper quo zelo seipsum morti dare volebat, ut

nolum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, quando mortis soluto pretio, profugos filios ad gremium revocaret ecclesiae.

Supremus itaque pater id idem voce retegens: *Hic est, inquit, filius meus dilectus.* Petra angularis: Petra, supra quam excelsus, perpetuaeque durationis ecclesiae mons, tanta stabilitur firmitate, ne tota inferorum classis illum diruere possit. Ideo ipsum tamquam tanti operis mirificum artificem jubet audiri, qui per sanguinem crucis ejus tam terrenis quam coelestibus pacem impartiturus venit. Ipsius jussa capescere mandat, qui servili indutus forma praefectorum quorumcumque perniciosam ambitionem, vitae suae contemptu damnavit. Christi praeceptoris disciplinam ediscere mandat, qui ad tam sublimem dignitatis gradum, nedum illustres, regioque sanguine natos, verum demissos etiam homines, virtutibus tamen praeditos, non dedignatur assumere. Christi legislatoris edictum nobis servandum proponit, qui preciosa quaeque contemnens, superbam hominum vitam sua profundissima suggillavit humilitate.

Operae pretium ergo erit, patres amplissimi, ipsum ut audiamus: qui pro grege vobis commisso, animam tradidit suam: morbidas oves sanans: dispersas congregans: errantesque humeris suis reducens. Ipsum audite, qui vanam ac fluxibilem hominum pompam conculcans, abjectissimum suae nativitati et morti locum elegit: ut ecclesiae suae alumni mansiones praepararet perpetuas. Ipsum audite, qui derisorias, fallaces atque caducas mundi nil pendendo divitias, nudus ascendit crucem: ut ecclesiae montem aeternis ditaret thesauris. Ipsum audite, qui non ovium pellem, sed suam pro illis virgineam, diris dilaniatam flagellis: pascendas et non perdendas, nec excoriaticibus mercenariorum manibus committendas oves instanter poscebat. Ipsum audite, qui acerrimis clavis contusis manibus, cruci affixus, ne quis illi aliquam abripere posset, ad unius ovis balatum impiger, paradisi pascua statim promisit. Ipsum audite, qui toto exulcerato corpore (etsi paterno destitutus auxilio) ovium tamen suarum salutem sitire fatebatur. Ipsum audite, qui diro lanceae vulnere saucius, intima cordis patefaciens: nedum aquam, verum sanguinem, sitibundis ovibus propinavit. Ipsum audite, vos qui ad hujus celeberrimi montis fastigium evecti estis: qui non in adumbratis sacramentis (velut patribus antiquis) sed in ipsa relucet veritate.

Vobis enim ad dexteram patris regnans Christus, hujus montis haereditatem possidendam, moderandamque reliquit. Quare in vobis supremis rectoribus, refugium omne, praesidium ac spes nostra post Deum constituta est. Attendite obsecro, patres piissimi: nam *parvuli* (Thren. 4.) *petierunt panem*: Panem, inquam, purgatae doctrinae: Panem castigatae disciplinae: Panem denique exemplaris ac regulatae vitae. Heu me patres, ter millies heu me. Non deficient obsecro, qui frangant, et porrigant eis. Quid proderit nobis inter vestibulum et altare clamorosis vocibus Deum optimum maximum interpellare, clamantes: *Parce domine, parce* (Joel. 2.) *populo tuo: et ne des haereditatem tuam in perditionem*: si conspiciendo ferocissimum aprum de sylva egredientem, dissipantem, vastantemque Christi haereditatem, (utpote ecclesiam suam) et solum sibilis eam defensare conamur? Manus mittere ad fortia necessum est. Quid utilitatis, quid emolumenti oriri poterit, ociosis vacare disputationibus? Semel in Christi tunicam inconsutilem sortem miserunt crucifixores: cecidit namque sors supra ecclesiae filios. Nostra enim est haereditas. Talaris tunica Ioseph (etsi sanguinolentis haereticorum dogmatibus circumdatam conspiciamus) nobis tamen de jure debetur.

Quorsum jam denuo discutere debemus, cujus sit? Equidem non sine magno discrimine de religionis veritate disputaremus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post prophetarum oracula, post apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidem quasi novellam discutere praesumamus. Quorsum post tam manifestos duces, post martyrum sudores, post confessorum et virginum illibatam vitam et constantiam, post tot concilia, post tot sanctiones, post tot decreta in errore permaneamus? Absit. Rescindite (*Matth. 2. Marc. 11. Luc. 19. Io. 2.*) quae rescindenda sunt. Purgate quae purganda sunt. Ejicite vendentes et ementes a templo. Mensas numulariorum, et cathedras vendentium evertite. Tunc enim res salva erit. Vos qui lucis nomen adepti estis, in tenebrosa vitiorum valle jacentibus fulgentissimos virtutum radios emittite, ut vobis auspiciis, vobis ducibus, inde illi ad splendidissimos fidei, et coelestium montium vertices aspirent.

Vigeat nunc tanti muneris sollicitudo in hac turbulentissima tempestate: in qua Christianam patriam spumantem haeresibus cernimus. Prophana viget libertas: terra scatet scandalis. scelera perpetrantur innumera. Divinus cultus perfidiae rubigine labefactatur: sacra prophanantur loca: religio corrumpitur, ac crucis Christi inimici sacrosanctae ecclesiae montem tangere minime verentur, ac si qui hunc tetigerit montem, non sit lapidibus obruendus. Nonne vulgus, utpote vulgares homi-

nes, ne propius accedant, prohibentur a domino? Contendite igitur manus ponere adjutrices, extrema quaevis pericula pro hujus montis indemnitate minime subire timete: ut sit paratus mons ecclesiae in vertice montium: sit domus Dei, domus regia, domus quae in cunctis nominetur nationibus: ejusque cultores in Christianam mutantur metamorphosin. Ex peccatoribus in resipiscentes: ex carnalibus in spirituales: ex hominibus in Deos per gratiam, ut posthac possint frui eo in gloria. Ad quam nos perducatur Christus optimus maximus, Amen.

IX.

SERMON PREDICADO A LOS PP. TRIDENTINOS POR EL DR. JUAN FONSECA, DE UBEDA.

TEOLOGO DEL ARZOBISPO DE GRANADA DON PEDRO GUERRERO, EN LA FERIA VI. IN PARASCEVE, AÑO 1562.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. I. Pet. 2. c.

HODIERNI evangelii prolixitas, reverendissimi et illustrissimi domini, patres amplissimi, nec non mysteriorum, quae in singulis ejus verbis nos Spiritus sanctus docet, multitudo, simulque temporis ad hic dicendum concessi brevitatis et angustia, me jure quidem compulere, ut omissa sacrae dominicae passionis historia, quam modo audistis et vobis omnibus notissima est: ad loquendum, ne tanto consessui molestus essem, compendium aliquod quaererem. Illudque aptissimum invenisse mihi visus sum in praedictis beati Petri apostolorum principis verbis, ex secundo capite suae primae epistolae desumptis: quae quidem, cum ad sacrosanctae Dominicae passionis Sacramentum aperiendum, tractandumque necnon ad mores nostros exemplo Christi reformandos, accommodam doctrinam complectantur, materiamque amplam nobis suppeditent, praesenti orationi maxime convenire existimavi. Quare sanctissimi patres, ut ea vobis digne exponere possim, vestram obsecro mihi exhibeatis humanitatem, et benignam attentionem, quae mihi ad dicendum vires non tenues subministrabit, vestrisque me precibus adjuvate. Et illius Spiritus auxilium imploreat, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei, ut per me indignissimum licet ministrum ad sui gloriam, omniumque nostrorum utilitatem sua reserare arcana dignetur: quod ut facilius impetremus, sacratissimam virginem matrem apud filium mediatricem ponamus, dicentes: Ave Maria gratia plena, ect.

Qui incarnationis Christi causam, cur, inquam, Deus homo, cur verbum caro factum est, alta, profundaque mente consideraverit, ejusdemque etiam passionis, et mortis congruentiam, imo et necessitatem ex eadem facile cognoscat. Nam cum (*Rom. 13.*) omnia, quae sunt, a Deo ordinata sint, utriusque una eademque extat sacramenti et mysterii ratio. Ideo autem filium Dei incarnatum fuisse, naturamque humanam sibi in unitate personae associasse, sacra nos docet, ut hominem, quem justum et rectum ipse condiderat, ejusque culpa in peccatis lapsum viderat, ad pristinum, et primum innocentiae statum misericorditer reduceret, ac pro suo peccato Deo patri satisfaciendo a culpa purgaret: hoc enim alia via fieri nequaquam potuit, satisfacere, inquam, Deo patri pro humani generis peccatis. Nam cum ex objecto infinitam in se malitiam peccatum habeat, necessarium fuit, ut infinitae dignitatis esset homo, qui pro illo poenam subiret, et condigne pro totius mundi peccatis satisfaceret. Est namque satisfactio contractus justitiae commutativae, qui in aequalitate quantitatis consistit. Ideoque secundum dignitatem satisfacientis et pretii valorem ponderari habet: quare talem mediatorem nostrum fecit Deus, qui pro peccato satisfacere posset, deberetque. Nam in quantum Deus, poterat: in quantum vero homo erat, debebat. Et ideo in una, eademque persona convenit Deus et homo, unus dominus Iesus, qui (ut inquit Paulus) *factus est* (*2. Cor. 1. c.*) *nobis a Deo patre sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio.*

Cum ergo Dei filius humanam naturam ad lapsum hominis reparandum assumpserit, ea oportuit ipsum agere, et pati secundum naturam humanam, per quae contra peccatum remedium adhi-

beri posset. Peccatum autem hominis in hoc consistit, quod homo corporalibus et terrenis adhaerendo, spiritualia et coelestia bona praetermittit: et spreto infinito, et incommutabili bono, ad finitum, vile, et caducum convertatur. Quare filium Dei decuit in assumpta hominis natura ostendere per ea quae fecit, et passus est, ut homines temporalia bona, vel mala pro nihilo ducerent, atque omnino flocci penderent, ne ab eorum inordinato affectu impediti, spiritualibus minus dediti essent. Et hac ratione ab instantis suae conceptionis, et nativitatis suae primordiis, *stulta hujus mundi elegit, ut confundat* (1. Cor. 1. c.) *sapientes et infirma mundi, ut confundat fortia, et ignobilia, et contemptibilia mundi, et ea quae non sunt, id est, humilia, ut ea quae sunt, id est, superba, destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus.* Hinc parentum discipulorumque ejus humilitas, contemptibilis ejus ortus, praeseptis reclinatio, stabuli diversorium, pauper vita, Ægypti fuga, jejunii prolixitas, peregrinationis decursus, irrisionum tolerantia, in eo habuere principium, ut elationis materiam hominibus auferret: ut delicias, divitiasque mundi contemnere nos doceret, et ab inordinato horum appetitu revocaret. Ideo laborem, famem, sitim, nuditatem, persecutiones et opprobria multa sustinuit, ne homines voluptatibus et delitiis intenti, propter hujus vitae asperitates a virtutis bono retraherentur.

Et tandem ne ullum in laboribus mundi non moveret lapidem, mortem (quae laborum et aerumnarum hujus orbis ultima linea est) omniumque terribilium terribilissimum, voluntarie ac propria sponte pro veritate sustinuit, ne propter mortis timorem aliquis, veritatem, aut virtutem desereret. Et ne quis, qui pro virtute et justitia mori non timeret, forsitan ignominiosissimum mortis genus formidaret, exprobratissimam mortem, crucis scilicet, hodie elegit, in qua ultra omnium mortalium vires afflictus in anima et corpore fuit: in anima quippe doloris atque compassionis transfigebatur jaculo, tametsi deificata in verbo divinis absque intervallo inhaerebat amplexibus. In corpore vero supra modum afflictionibus et cruciatibus premebatur. Nam captus et ligatus in judicium ducitur, modo ad Annam, modo (*Mat. 10 27. Mar. 14. 15. Luc. 22. 23. Ioan. 18. 19.*) ad Caipham, modo ad Pilatum, modo ad Herodem: Iterumque ad Pilatum, a Pharisaeorum ministris velatus, consputus fuit, alapis caesus, falso accusatus, in veste alba illusus, flagellatus, purpura in opprobrium indutus; spinis coronatus, arundine pro sceptro insignitus, capite percussus, derisorie adoratus, morti damnatus, innumerisque aliis illusionibus et contumeliis affectus, cruciatibus et tormentis fatigatus, ita ut in cruce existens, in ultimo jam constitutus cum immanissimis tormentis premeretur, coactus fuit ad Patrem voce tonante clamare: *Deus meus, Deus* (*Matth. 27. Marc. 25. Psal. 21.*) *meus, ut quid dereliquisti me?* non quod totaliter a Deo fuisset derelictus, cui in unitate personae fuerat conjunctus, sed quia in puris naturalibus sensibilem partem dereliquerat Deus: fluente enim aeternae voluptatis continuerat pater, ne impetu quo solebant emanarent in Christo; quamobrem toto super se humanae infirmitatis in se suscipiente flagellum, ad Patrem vocis suae dirigendo clamorem ait: *Deus meus, Deus meus, ect.*

Caeterum quae lingua, quaeve facundia, quanta hodie passus est redemptor noster enarrabit? quis intelligit? credo sanctos evangelistas brevitatis causa irrisionum et afflictionum tantum species, non item numerum expresisse. Tandem cruci affixus, quasi signum ad sagittam coram omnibus elevatur, ut contradictionis et irrisionis verba susciperet, in Hierusalem civitate regia et famosa, in praecipua solemnitate Iudaeorum, quando propter templi pulcritudinem, et reverentiam, et solemnem festivitatem non solum ex Iudaeis, verum ex diversis etiam nationum gentibus maxima convenerat multitudo: omnibus factus spectaculum, Iudaeis et Graecis, Latinis et Barbaris, justis, et peccatoribus, diligentibus, et odientibus: ita ut clare hic adimpleretur quod dixerat: *Ego sum* (*Psal. 21.*) *vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis: omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.* O mirandum insolitumque prodigium! o horrendum inauditumque spectaculum regem aspicere gloriae, cui coelorum famulantur obsequia tot lacerari injuriis, opprobriis gravari, atque incomparabilibus poenis dilaniari! O humanae superbiae pudor! o altitudinis terrenae confutatio singularis! mirabantur angeli omniumque coelestium spirituum legiones videntes Dei verbum, per quod facta sunt omnia contemni a perfidis, sapientiam ipsam hominum super se sordidissimas injurias, irrisiones sputaque suscipere, undique Dei filium, attritum, despectum, agitatum, illusum: a saeculo non est auditum tantae humilitatis et dejectionis prodigium, tamque insigne patientiae, obedientiae, caritatis, omniumque virtutum exemplar, nulli prorsus nisi verbo Dei congruebat talia virtutum praeberere magisteria.

Ad hoc venerat in mundum, ad hoc visibilem sumpserat humanitatis formam, ut peccata de-

strueret, resecaret vitia, reformaret mores, virtutesque doceret, ut quemadmodum humanae speciei fuerat ipse auctor, fieret etiam lapsi homini per virtutum exempla sapientissimus reparator. Et sicut ad (*Genes. 1.*) imaginem et similitudinem suam (quam in nobis per peccatum foedavimus) naturaliter creati sumus: ita ad morum ejus similitudinem, per imitationem virtutum pro nostra possibilitate reformemur. Nam, ut inquit Paulus, *quos (Rom. 3.) Deus praescivit, praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui*, id est, Christi humanitatis. Ideo redemptor noster jam ex hoc mundo ad Patrem transiturus, quicquid in vita verbo et exemplo docuerat, quicquid virtutis et perfectionis in hominum cordibus plantaverat, in hoc suae passionis sacramento velut in summa quadam et exemplari nobis imitandum reliquit. *Passus (1. Pet. 2.) est enim (ut inquit Petrus) pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Vobis inquam, id est, omnibus fidelibus suis: vel vobis, id est, ecclesiae suae pastoribus: sed jam quomodo hi et illi Christum sequi et imitari debeant, paucis videamus. Cum ergo omnis Christi actio, ejus vita, passio, et mors, nostra sit instructio, nostrorumque morum disciplina, et reformatio: omni cura, et sollicitudine in re hac advigilandum nobis est, si cum Christo regnare cupimus, quomodo ipsum imitemur, quomodo vestigia ejus sequamur. Nam, ut Ioannes inquit, *qui dicit se (1. Ioan. 2.) in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* Modum autem et ordinem quem in hoc servare debemus, ipse dominus per Matthaem capite xvi. nobis declarat, ubi postquam secreto passionis suae mysterium discipulis suis praedixerat, et ad sui imitationem et passionis tolerantiam illos invitavit, modum quo hoc facere deberent statim subjunxit, dicens: *Si quis vult post me (Matth. 16.) venire, abneget semetipsum. tollat crucem suam, et sequatur me.* O salubre consilium, o persuasio fidelis, o admonitio salutaris! noverat redemptor noster hominem quem plasmaverat, sciebatque absque dilectione ipsum non posse persistere. Re etenim vera aut delectatur in summis, aut jucundatur infimis, utraque enim pariter amari non valent. Propterea divina sapientia priusquam infundat in anima coelestis doctrinae divinum liquorem, lutosos voluit evacuare affectus: servavit quippe medicorum morem, qui numquam aegrotantibus restaurant praebent medicinam, nisi prius purgationibus auferant humores corruptos et noxios: sicut doctus etiam agricola primum vomere radicitus evellit sentes, et postmodum in terrae sulcis spargit semina: prudenter namque intelligit, quod ad maturitatem non valet spica coalescere, quae fuerit sentibus suffocata.

Hac ergo usus arte coelestis medicus, et sapientissimus agricola noster dominus Iesus, fidelibus suis ejus sequelam anhelantibus mandavit, ut priusquam se divinis imbuendos traderent disciplinis, se ipsos abnegarent, seque a propria sua voluntate denudarent, et temporalium rerum, ac propriae carnis inordinatos affectus a se omnino abdicarent, quatenus ad sui sequelam et coelestem doctrinam capessendam habiliores inde fierent. Hi namque inordinati affectus ingentium, innumerorumque delictorum in nobis gignunt effectus, necnon multorum adferunt impedimenta bonorum. Quis enim enumerare sufficit, quanta exuberent peccata ex sui ipsius inordinato amore? ex eo enim odia, lites, jurgia, rixae, furta, homicidia, rapinaeque prodeunt: hic affectus pravus animum machinationibus replet, et qualiter proximum fraudare valeat, consilia adinvenit: hic humanitatis officium et pietatis extinguit, et proximi misereri nullatenus permittit: ignorat hic perniciosus affectus fratrem diligere, nescit aliena damna, quia proprio tantum et singulari gratulatur bono: hic praesentia amat, temporalia cumulat, sperat futura, et cum totum se spargat in imis, nihil potest amare de summis: internos hic claudit oculos, nec futurum sinit praevidere iudicium: diuturnam hic pollicetur vitam, prosperos promittit successus, et tandem amatorem suum in barathrum demergit aeternum. Et quid mirum? si enim, teste apostolo: *cupiditas est radix omnium malorum*, et teste sapiente: *Superbia initium omnis peccati.* cur non potiori jure agnomina haec huic pravo affectui convenient, qui et cupiditatis ac superbiae radix et origo est?

Merito igitur redemptor noster discipulos suos ab inordinato sui ipsorum amore tamquam a malorum fonte compescuit, et sui abnegationem in ipso statim doctrinae limine tantopere suasit: *Et tollat, inquit, crucem suam:* haec jam secunda conditio est Christi discipulorum, quia enim electos suos, qui jam proprio renunciarunt affectui, flagellis et tribulationibus variis agitari non cessat dominus, ipsorum salutem hac via sapienter operando, ut hac occasione se in exilio positos esse cognoscant, et ex inundantia tentationum ad dominum, apud quem solum segura quies est, redire cogantur, et quatenus per experientiam cognoscant quantum inter peregrinationem distet et patriam. Ideo, inquam, ne his laboribus et afflictionibus succumbant, clementissimus pater, ut illas acquanimiter ac patienter ferant, ipsos praemonet. O veri patris viscera, o immensa Dei

charitas, imo totius caritatis abyssus indeficiens! non tantum purgare assidue vult afflictionis igne servos suos tanquam electos palmites in vera vite manentes, ut fructum justitiae tempore suo proferant: sed hortatur etiam ut flagella, quae vel pro expiatione culparum, vel pro augmento virtutum dominus illis dimiserit, patienter sustineant: et non hortatur solum, sed etiam exemplo suo ad illa sufferenda illos trahit, calicem passionis alias hominibus impotabilem prius ipse hibens, et in se dulcescere faciens. Unde non verbo tantum, sed exemplo etiam dicit: *et sequatur me*, hoc est, me imitetur, vestigia mea sequatur, discat a me humilitatem, patientiam, obedientiam, caritatem, caeterasque virtutes, mundum contemnere, terrena non ambire, non caduca sectari, honores fugere, ignobilitatem amplecti, cunctis liberaliter prodesse, injuriam nulli inferre, sibi illatam patienter tolerare, inferentibusque veniam a domino postulare. Et in omnibus tandem non suam sed Dei gloriam quaerere: *sequatur* (inquam) *me*, non solis carnis gressibus, sed mentis affectibus: sequatur me, sicut discipulus magistrum, sicut viator ducem suum, sicut ovis pastorem: quia ad hoc veni in mundum, ad hoc de coelo missus sum, ut legem vitae ac disciplinae homines docerem, et meo exemplo illos in via virtutis praeirem.

Ecce quam doctrinam docet Christus volentes post ipsum venire, ejusque vestigia sequi: quid consultius, quid brevius, quid melius dici potuit? docuit in summa his paucis verbis incarnata Veritas terrena despiciere, amare coelestia, et veram paradisi viam sequi. Quis haec audiens se continere possit, quin obtemperet tam prudenti consilio? aut quis compos sui dissimulare audebit, et non magis toto animo, totoque affectu, tanto se praeparavit obedire praeceptori, qui non verbo tantum, sed exemplo etiam praestat quod docet? Omnes ergo, o filii hominum, qui proprio affectu, hujusque labentis saeculi amore detinemur, expergiscamur ad tam salutarem pastoris nostri vocem, et Christum Dei virtutem et sapientiam, *in quo sunt* (Colos. 2.) *omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi*, clamantem veramque salutis viam verbo pariter et exemplo docentem audiamus. Cognoscamus ubi sit sapientia, ubi prudentia, ubi pax vera, et vita nostra, quod non in hoc saeculo nequam, in quo peregrinamur, reperitur, sed in Christo Iesu crucifixo: ipsiusque dulcem affectum in praecordiis nostris ante omnia imprimere studeamus, ejus vestigia, id est virtutes, pro viribus imitemur, et sequamur, atque omnes actiones nostras ad ejus exemplar, quod hodie nobis in monte crucis ostensum est, faciamus.

Et quia horum omnium fundamentum (*Exod. 25.*) unicum est (ut diximus) nostri propria abnegatio, studeamus imprimis ipsius documento, nos ipsos abnegare, propriam voluntatem, proprium affectum, omniaque nostra, id est, peccata quae sola nostra sunt, abjurare: studeamus, inquam, ut clarius loquar, vere de peccatis poenitere: hoc enim proprie est seipsum abnegare, veram ac salutarem peccatorum poenitentiam agere, hoc proprie est crucem suam tollere, Deo pro praeteritis offensis satisfacere: hoc vere est Christum sequi, vitam veterem in novam commutare, et exuto terreno Adamo, coelestem Christum scilicet inducere, ac demum vitiorum abrupta aia dimissa, virtutum regiam amplecti. Ne igitur amplius immoremur, ne obsurdescamus ad tanti doctoris vocem et exemplum, sed *abjicientes opera* (Rom. 13.) *tenebrarum, induamur arma lucis*, abjicientes a nobis peccata nostra, ad Christum crucifixum unicum peccatorum asyllum per veram poenitentiam confugiamus. Hoc namque omnia ejus membra pro nobis hodie vulnerata suadent, apertum latus, extensa brachia ad suscipiendum nos, declinatum caput peccatores ad se vocans: *Venite ad me*, inquit, *omnes qui* (Matth. 11.) *laboratis, et onerati estis*, (jugo scilicet peccati) *et ego reficiam vos*, id est, liberabo vos, hoc conscientia nostra clamat, cujus testimonium galli cantus est, qui hodie Petrum ad poenitentiam (*Matth. 26.*) excitavit: hoc infelicissima haec tempora monent, ad idem tot mala, tot haereses, tot afflictiones, tot (*Matth. 24. Luc. 22. Ioan. 18*) miseriae, quae nos (proh dolor) undequaque circumstant, compellunt.

Tot ergo contra nos testimoniis, evigilemus omnes a tam gravi somno peccati, quo miserabiliter opprimimur, et apertis mentis oculis meritas divinae justitiae plagas, attendamus, quae nostris temporibus plusquam quingentis retro annis Christi ecclesiam, catholicamque religionem oppugnant, aliasque majores jam jam nisi resipuerimus imminentes, cognoscamus omnia ecclesiae mala praeterita et praesentia (quae heu quis enumerabit?) a nostris peccatis, velut ab unico malorum fonte emanare: et totis conatibus Deum placare studeamus, contra nos, seu potius contra delicta nostra iratum, arcumque irae suae ac flagelli vibrantem, ac velut nobis minitantem, et dicentem: *Adhuc quadraginta* (Ioan. 3. Luc. 3.) *dies et Ninive subvertetur: nisi poenitentiam egeritis omnes simul peribitis*. Rumpamus ergo moras omnes, fideles, abigamus a nobis omnem torporem et somnolen-

tiam, abjiciamus a nobis has tenebras plusquam Cimmerias, in quibus versamur, festinemus ad poenitentiam, nos praesertim sacerdotes, nos praesertim ecclesiastici, polissimum ecclesiae duces, pastores, proceres et primates, quorum delictis et abusibus Deus magis offenditur, atque ad iram provocatur, sicut per prophetam nobis ipse declarat, dicens: *Si inimicus meus (Psal. 54.) male dixisset mihi, sustinuissem utique, et si is qui oderat me, super me maligna locutus fuisset, abscondissem me torsitan ab eo. Tu vero homo unanimes dux meus (attendite) et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Et alibi: *Etenim (Psal. 40.) homo pacis meae in quo speravi, qui edebat panes meos, id est, corpus meum, magnificavit (Matth. 16.) super me supplantationem.* Unde in hesternae nocte de Iuda (quia apostolus ejus erat) specialiter questus est Dominus, non de pharisaeorum ministris, dicens illi: *Amice, ad quid huc (Luc. 22.) venisti? osculo filium hominis tradis?* Gravissime itaque ecclesiasticorum delictis irascitur Deus, et nedum Deus, sed et homines multum offenduntur atque irritantur. Et hac de causa omnes ecclesiae ministri, qui olim ab omnibus, ut patres et dii venerabantur, nunc a multis tamquam purgamentum hujus saeculi habentur, et deridentur, exigentibus nostris demeritis, exigentibus nostris peccatis.

Haec ergo omnia attente considerantes, nullus ecclesiasticorum, nullus ecclesiae pastorum, ac procerum se excuset: quia *in multis (Iacob. 3.) offendimus omnes*, a minimo usque ad maximum: quin potius prosternamus nos coram Deo, et perpetuo lacrymarum lixivio, ac poenitentiae nitro, gemitibus, vigiliis, jejuniis, orationibusque assiduis delicta nostra ploremus, et non nostra tantum, sed proximorum etiam defectus, defleamus mundum nescientem plangere se: hoc enim ecclesiasticorum, hoc pastorum proprium munus est, quilibet seipsum solum malorum causam faciat, nullus in alium culpam rejiciat, sicut terrenus pater (*Genes. 3.*) noster Adam, qui mulierem suae culpae auctorem fecit, et ipsa serpentem: sed potius aliorum peccata faciamus, sicut hodie secundus noster Adam coelestis fecit: qui cum innocentissimus esset, omnium culpas super se sumpsit, omnium se debitorem constituit, pro omnibus animam suam posuit, ut pro omnibus Deo patri satisfaceret, in hoc vobis spiritualiter, patres amplissimi, *relinquens (1. Pet. 2. Ioan. 13.) exemplum, ut sequamini vestigia ejus*, ut quemadmodum ipse fecit, ita et vos faciatis. Docuit enim profecto hoc facto dominus, quale sit spirituale pastoris proprium ministerium: Utique Dei et hominum continuum mediatorem esse, quatenus piis ejus intercessionibus, orationumque suffragiis divinam justitiam erga delinquentes faciat esse placabilem, quemadmodum Paulus ad Hebraeos perhibet: *Omnis, inquit, pontifex (Hebr. 5.) ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. Et ideo debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis: docuit etiam hoc suo exemplo Christus, quanta pastoris erga gregem sibi commissum cura esse debeat, quanta sollicitudo, quantus (Ioan. 20.) labor, quanta dilectio, qui propriam etiam animam pro ovium salute, si necessarium fuerit, ponere debet.*

Utique nullis verbis declarari potest spiritualis pastoris erga suum gregem obligatio. Tenetur enim continue et sollicite supra illum excubare, circumquaque adversariorum insultus ac deceptiones prospicere, et propugnare, illum erroribus purgare, sanctis moribus instruere, ovium labores et infirmitates supra se tollere ac sublevare, et ut proprios sentire: ita ut cum Paulo dicere possit: *Quis infirmatur, et ego (2. Cor. 11.) non infirmor, quis scandalizatur et ego non uror?* Tenetur in summa bonus pastor perpetuo ovibus ministrare exhortando, admonendo, suadendo, increpando, obsecrando, pro illis caelum crebris pulsare gemitibus, assiduis instare orationibus, et si quando ingruerit persecutionis procella, exemplo sui ducis Christi crucifixi, proprium caput pro ovium salute periculis objicere. Laboriosum profecto est, et intolerabile pondus, spiritualis pastoris munus, nisi desuper constantiae atque caritatis ovium infundatur gratia, et zelo salutis animarum ejus accendatur affectus: a paucis quidem, aut nullo appeli deberet, et tamen multi sunt qui pastoralis officii cathedram desiderant, sibi oblatam libenter amplectuntur, et quod deterius est, prece aut precio sollicitant, imo mendicant: hujusmodi pastores, seu potius mercenarii non ut prosint, sed ut praesint, promoveri desiderant, *non quae (Ephes. 2.) Iesu Christi, sed quae sua sunt quaerunt*, non ovium utilitati, sed propriis incumbunt affectibus, eorum quidam honores ambiunt, aliqui divitias appetunt, nonnulli corporis inhiant voluptatibus: sed haec quae tempus aliud auditoresque alios postulant, missa nunc faciamus.

Hoc tantum (ut ad scopum desideratum jam veniam) dicere non praetermittam, patres amplis-

simi, vestra fretus benignitate et clementia, etiam si vos pro pietate, et sapientia vestra, ac salutis animarum studio in tam gravi ac arduo negotio quod tractatis, bonorum pastorum officio functuros minime dubitem: illud est, quod si pastores aliquos, unquam pastoralis cura et munus obligat, et si aliquos unquam obstrinxit et obneclit: estis nunc vos, patres reverendissimi, pro loco et persona quam sustinetis, pro rerum magnitudine quas tractatis: non enim singularis pastoris, sed totius ecclesiae personam agitis, non unius animae, non unius provinciae, non unius regni tantum, sed totius orbis curam geritis: non de rebus futilibus et vanis, sed arduis, imo arduissimis tractatis: nempe de haeresibus extirpandis, de dogmatibus fidei formandis, de ecclesiastica disciplina tam valde his nostris temporibus corrupta et depravata, corrigenda, et reformanda. Quare obsecro vos patres amplissimi, ut vestri muneris rationem, necnon ecclesiae catholicae calamitates attendentes, erectos sumatis animos, mentemque magnanimam, ut pulcherrimis coeptis hujus sacri concilii dignissimum imponatis colophonem. Considerate episcopum et pastorem animarum vestrarum Christum Iesum, pro sua sponsa ecclesia hodie crucifixum: attendite quanta pro illius salute passus sit, et ipsius vestigia sequentes pro eadem omnem sollicitudinem vestram, omnem laborem et conatum, cunctumque studium vestrum adhibere ne dubitetis. Considerate etiam vos spectaculum esse Deo et hominibus, fidelibus et infidelibus, piis et impiis, in vosque intentos esse totius ecclesiae, imo totius universi oculos, tantorum malorum remedium jamdiu ab omnibus desideratum ab hoc sacro concilio expectantes, omnesque fideles in extremis pene constitutos, et religionem Christianam jamjam ruinam minantem, nisi a vobis sustentetur, vestram implorare auxilium.

Videte quantam, quamque miserandam stragem animarum, pro quibus Christus mortuus est (fletus me impedit) in ecclesia fecerint haeretici, quotidieque faciant, non cessantes noctu diuque suae malignitatis venena diffundere, ut perimant innocentes: qui fieri potest, ut tot animarum perditione non moveantur viscera vestra, qui pastores et patres estis? gemit Christus excidium tot filiorum qui quotidie pereunt, meminit se illos per propriam mortem hodie genuisse, et eorum casum tanquam verus pater deflet, atque illorum resurrectionem a vobis pastoribus, quibus gregem suum commisit, dolenter efflagitat. O quanta erit omnium fidelium laetitia, et gaudium, si hoc sacrum concilium, effectum tamdiu ab omnibus desideratum felicissime sortiatur, ab omnibus merito per vicus et plateas cantabitur alleluja, hymni, laudes, gratiarum actiones, ac sacra libamina Deo offerentur. Planctus convertetur in gaudium, amaritudo in dulcedinem, desperatio in spem, et fidelium tepor in flagrantissimam caritatem. O quantus etiam erit angelorum, totiusque militiae coelestis jubilus, quantum supernae illius Hierusalem tripudium, quam laeta tota civitas illa erit hoc evangelio, quam hilaris, quam festiva, et in Dei laudibus occupata: quamque per contrarium tristis erit infernus, quam moesta haeticorum turba.

Sitis ergo forti animo, patres sanctissimi, et ab incoeptis nequaquam, absit, degeneretis: quia dux vester Christus, qui sanctissimo D. N. Pio quarto, vobisque tam intrepidam mentem suggestit, ut negotium hoc supra humanas vires aggredi auderetis, non deficiet ecclesiae suae, sed idem profecto sicut promisit, illi aderit, et hoc quidem praesentius, quo gravius est periculum. Lumen sapientiae et intellectus (*Matth. 28.*) vobis dabit ad penetrandum mysteriorum fidei arcana, et haeticorum argutias ac deceptiones fallaces confutandas, consilii donum ad apprehendendum quid perniciosum, quidve utile suae ecclesiae sit, reliqua etiam Spiritus sancti dona fortitudinis, scientiae, pietatis et timoris, ac necessaria omnia ad ecclesiae suae reformationem vobis suggeret, dummodo ejus remedium ex animo (ut vos facere non dubito) desideretis, dummodo viri desideriorum sitis, sicut (*Dan. 9.*) propheta Daniel, qui ideo meruit secreta scire coelestia, et populi remedium pro quo Deum precatus est, quia concupivit, dicente illi angelo Gabriele: *Ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum tu es.* Deus vobis mittet non angelum solum, sed Spiritum suum, qui omnia (*1. Cor. 2.*) *scrutatur etiam profunda Dei, qui illuminabit sensus vestros, et intelligentias vestras,* qui voluntatem vestram suo inebriabit amore, ut tantis malis, quibus jamdiu ecclesia vexatur, finem aliquando imponere possitis: nolite metiri vires proprias, ex vobis ipsis nihil potestis, sed cogitate illum omnipotentem esse, qui pugnat in vobis Spiritus sanctus.

Nec vos terreant haeticorum seu satanae potius vires et technae: cum hoste enim jam olim multoties a vobis fracto bellum geritis. Ubi enim Arius? Ubi Sabellius? Ubi Manichaeus, ceterique horum similes? nonne in suis evanuerunt cogitationibus? et retrorsum alienati sunt quotquot schismata composuerunt? singuli hanc Christi tunicam inconsutilem, ecclesiae scilicet unitatem scindere voluerunt, sed illi ab unitate se diviserunt, non unitatem diviserunt. Ventiletur a Lutheranis,

Sacramentariis, Anabaptistis, et aliis haereticis, depraedetur, sorjatur cujus sit, in sua ipsa integritate per aevum durabit, sicut in hunc usque diem integerrima permansit: ipsi vero et eorum schismata peribunt (ut de aliis factum est) et sicut vestimentum veterascent.

Quapropter iterum atque iterum obtestor vos P. S. per viscera misericordiae Dei (*Psal. 101.*) nostri, per sacratissimam ejus passionem et mortem, quam hodie recolimus, per egregiam pietatem vestram, per calamitates et pericula filicrum vestrorum Christi fidelium, per fidem quam Christo domino, per caritatem quam fidelibus ejus debetis, per aeternam felicitatem, quae vos pro re hac manet in coelesti patria, ut in hoc tanto ac tam serio negotio animos vobis dignos, (ut de tantis patribus ac pastoribus speramus) praeestis. Beati eritis (*Sap. 6.*) si haec feceritis, alio quin iudicium durissimum fiet vobis, qui gregi dominico praeestis, qui pastores agitis, si opus domini negligenter egeritis, si dissimulasse, si tacuisse, aut non clamasse pro (*Hiere. 41. Ezech. 33.*) ovium salute fueritis deprehensi: quia de manibus vestris dissipatarum ovium requiretur sanguis. Hoc autem a me, patres amplissimi, aequo animo accipite, qui non dixi ut vos cessantes extimulem, sed ut sponte ad tam laudabilia, arduaue negotia currentibus gratuler, agamque gratias Deo, qui tam egregiam mentem vobis inspiraverit, ut nullius egeatis exhortatione. DIXI.

X.

SERMON PREDICADO ANTE EL SACROSANTO Y ECUMENICO CONCILIO DE TRENTO.

POR EL DOCTOR PEDRO FUENTIDUEÑA, TEÓLOGO DEL OBISPO DE SALAMANCA DON PEDRO GONZALEZ DE MENDOZA, EN LA DOMINICA DE LA SANTÍSIMA TRINIDAD, DIA 24 DE MAYO DE 1562.

Absque synagogis facient vos. Joan. 16.

Si cum rudes, et populares homines, evangelicis praeceptis instituendi, et amore virtutis inflammandi sunt, a magnis etiam, et excellenti ingenio atque doctrina viris in ipso statim concionis ingressu atque vestibulo divini numinis favor implorari consuevit: quanto majori ratione hodierno die, et mihi in hoc teatro sapientiae, et apud ecclesiae principes, et de re omnium gravissima et difficillima dicenti, omnia erunt invocanda coelestia patrocina, et divinus animorum medicus, atque magister Christus, precibus erit sollicitandus: ut illos in nobis spiritus ad dicendum accendat, quos huic tantae provinciae videt esse necesarios: quos ut facilius obtinere valeamus, illius matrem sanctissimam, virginem Mariam, solitis illis officiosissimis, jucundissimisque angelicae salutationis verbis interpellemus, dicentes: *Ave Maria.*

Cum nihil sit praestantius amabiliusque veritate illustrissimi legati, reverendissimi patres, cujus amore incensi et inflammati mortales, nullis ut eam assequerentur laboribus parcendum, sed vota studiaque omnia illi consecranda, imo totas suas aetates plerique in ejus investigatione conterendas judicaverint: mirum profecto mihi saepe videri solet, unde tam subito contra veritatem tantum odium exarserit ut cujus tanto studio et cupiditate antequam esset inventa, homines tenebantur, eam in lucem jam editam, tam acerbo et intestino odio prosequerentur. Neque enim Christum servatorem nostrum, vitaeque magistrum alio nomine perditum et profligatum homines tam acriter insectati sunt, quam quod cum ipse veritas esset, se veritatem (*Joan. 14.*) appellaverit, et veram recte sentiendi optimeque vivendi vitam innocentissima vita et coelesti sapientia mortalibus patefecerit: neque quidpiam aliud contra illius discipulos, acerrimos veritatis patronos, veterum tyrannorum carnificinas, quam odium veritatis armavit. Quod si veterem etiam rerum gestarum memoriam jam inde ab initio ad haec usque nostra infoelicissima tempora repetamus, inveniemus plane et veritatem ipsam invisam semper fuisse mortalibus, et eos qui illius causam patrociniūque susceperunt, et publico odio conflagrasse, et impios contra se sceleratorum homi-

num animos, armaque movisse. Hinc prophetarum fuga, exilium, cruciatus, interitusque promanarunt. Hinc videas Michaeam odio (3. Re. 22. Hier. 38. 3. Re. 19. 2. Para. 24.) habitum, Hieremiam in carcerem teterrimum detrusum, Heliam sanctissimum virum a perditissima foemina indignis modis vexatum, Zachariam Joiadae filium lapidibus obrutum, Isaiam serra consecutum crudelissime trucidatum, coelestemque illum praeconem Joannem Baptistam obruncatum, ejusque caput venerandum impudentissimae saltatrici tamquam impudentiae praemium atque mercedem exhibitum. Sed nihil mirandum est: pugnat enim veritas cum hominum sceleribus, cum ambitione, superbia, avaritia, cum omni genere improbitatis bellum gerit, tot habet hostes quot vitia: tum vero principem ipsum, mendacique parentem daemonem sibi infensissimum. Quo fit ut non potuerit dignitatem suam citra pulverem et sanguinem conservare. Acerrimos igitur perpetuo et innumerabiles hostes, paucissimos vero patronos et defensores adepta, sic semper infestas et inimicas mortalium mentes experta est, ut mihi quidem totum pene orbem contra veritatem pugnasse, et odium simul cum illa natum et educatum ejus semper socium atque comitem extitisse videatur.

Etenim antiquis temporibus ante adventum Christi foelicissimum, cum homines non expressam aliquam veritatis imaginem, sed quasdam illius umbras, vestigiaque sequerentur, non tamen defuerunt qui illas etiam umbras et odio haberent, et acerrime insectarentur. Nam si qui tum magni et excellentes homines virtute atque sapientia florere, qui veritatis amore flagrantes, illius vindices et assertores esse voluerunt, ii plane caeteris invisi multis saepe incommodis, contumeliis affecti sunt: sed cum non satis essent ad illius defensionem animati, qui honorem vitamque suam illius dignitati anteferebant ducerent, molles et delicati patroni, ejus causam turpiter prodiderunt. Vexata ergo tunc, afflicta, et exagitata veritas, cum nullum locum in terris in quo respirare, nullum certum domicilium, nullam sedem tectam satis atque munitam inveniret, in qua dignitatem suam illaesam, et inviolatam contra hominum insidias conservaret: quemadmodum incorruptissima illa virgo justitia, relictis tribunalibus iudicium, in coelum: sic veritas destitutis gymnasiis philosophorum, coetuque hominum, in supernas sedes, in gremium, sinumque divinum, unde fuerat egressa, commigravit. Totus igitur terrarum orbis densissima quadam et flagitiorum et ignorantiae caligine circumseptus, luce et splendore veritatis orbatus, in tenebris versatur, quousque confecto jam atque decurso illo temporis spatio, quod divina bonitas asserendae hominum libertati, implendisque suis pollicitationibus, promissisque praefixerat: filium (*Gala. 4.*) unigenitum, hoc est ipsam veritatem humana carne indutam, mortalique conditione natam legavit ad terras: quae hominum animos a tenebris errorum, ad veritatis lucem: a turpissimis moribus, ad honestam vitam: a miserrima servitute, ad dulcissimam libertatem: a cupiditate rerum abjectissimarum, ad coelestium ac divinarum contemplationem, amoremque traduceret: quae deorum simulacra e fanis expelleret: quae templum illi sanctissimum consecraret: quae aram non jam hominum vel animantium, sed suo ipsius sanguine madentem erigeret: quae iter mortalibus ad immortalitatem, veramque religionem veluti digito monstraret. Sed o caecas atque perversas hominum mentes, quae non modo tantum, tamque praeclarum Dei beneficium non agnoverunt, sed ingratissime repudiarunt: et non repudiarunt modo, sed inaudito quodam odio prosequulae, acerbissimis opprobriis, et crudelissima morte ipsam veritatem affecerunt. Nam cum ob diuturnam errandi consuetudinem, homines suis jam tenebris gauderent et delectarentur, non poterant tantum veritatis lumen sustinere: et quemadmodum qui diu in tenebris jacuerunt, ab illis extracti, splendidissimam lucem Solis, sine gravissima offensione ferre non possunt, sed illius suavissimo, et candidissimo splendore vehementer offenduntur atque cruciantur: sic illi veritatis lucem sese ultro illorum animis inferentem, sed tamen cum eorum erroribus, cupiditatibusque pugnantem turpiter rejecerunt: multoque magis homines in eam saevire coeperunt, cum eam magis amare, et venerari debuissent: nulloque tempore tantum odii et persecutionum incendium contra veritatem est excitatum, quam eo quo illa magis coepit de mortalibus bene mereri. Testes sunt contumeliae, maledicta, cruciatus, morsque acerbissima Christi. Testes sunt carceres, catenae, equulei, ignes, gladii, crateres, secures, laminae ferreae, reliquaque tormentorum genera, quae tyrannorum crudelitas contra veritatis propugnatores excogitavit.

Cum ergo omnia Christus vitae magister secum tacita mentis cogitatione perpenderet, cum videret calamitosum illud, tristissimumque suae mortis tempus instare, cumque tota illa acerbissima malorum tragoedia, quae carissimis suis apostolis imminabat, ante illius divinos oculos versaretur, majorem animo dolorem de illorum calamitatibus, quam de sua ipsius morte concipiens.

illos hodierno sermone consolatur, impendentia mala praedicit, et ut praevisis malis minus offenderentur, et eorum acerbiteriam illo vaticinio aliqua ex parte mitigaret: Attendite (inquit) discipuli mei carissimi, *absque* (Joan. 16.) *synagogis facient vos*, vos homines summo et infinito quodam odio prosequantur, vos templis exterminabunt, e consuetudine hominum expellent, contumeliis afficient, omni crudelitatis genere vexabunt, immaniter interficient, et quod est acerbius, qui vitam vobis eripuerint, gratissimas se Deo hostias immolasse arbitrabuntur. Sed obsecro vos subeat tunc mei memoria atque recordatio, quem vobis priorem mundus odio et acerbissimis est contumeliis persecutus. Quod si me (Joan. 15.) magistrum, si servatorem, si ipsam denique veritatem tam inimice sunt insectati, quid mirum si vos, et discipulos meos, et veritatis etiam defensores exagitent? Sed quoniam videbat illos nunc infantium more non posse omnia arcana divina complecti (nam illis paulo post dixit) *Multa habeo* (Joan. 16.) *vobis dicere, sed non potestis portare modo*: quia noverat eos non posse tanto animi robore malorum impetus sustinere: nam Petri nimiam (Joan. 23. Luc. 24.) illam confidentiam illis antea verbis represserat, non potes me sequi modo: et ascensurus in coelum discipulos suos Hierosolymis sedere jussit, donec coelesti induerentur virtute, quia illorum infantiam et imbecillitatem cognitam et exploratam habebat: ut eos quos suae divinitatis et gloriae praecones esse volebat, contra tot procellas et tempestates, fortissimo aliquo patientiae praesidio, coelesti patrocinio, et spe foelicitatis armaret: nunc illis spiritum sanctum pollicetur, cujus praesentia non modo non reformidabunt pericula, neque truces tyrannorum vultus exhorrescent, sed alacri et laeto animo se in ipsas crudelissimae mortis fauces, pro Christi gloria, et veritatis defensione conjicient: a quo non modo illorum mentes aptae atque capaces ad excipienda divina illa mysteria redderentur, sed linguas etiam (Act. 2.) igneas acciperent, quibus divina consilia mortalibus explicarent, frigida hominum pectora, amore rerum coelestium atque divinarum incenderent, omnes gentes atque nationes sub evangelii jugum mitterent, et in ultimos orbis angulos atque recessus crucis vexillum, et lumen veritatis inferrent.

Quae quidem omnia sic evenisse sicut ille praedixerat, ipse rerum exitus declaravit. Nam cum de morte parta victoria (Eph. 4.) captivam duxisset captivitatem, et gloriosissimum triumphum in coeleste capitolium (mirantibus angelis) intulisset, misso Spiritu sancto, suorum discipulorum animos sic confirmavit, ut ille qui (Joan. 18. Matth. 26.) paulo ante ad unius ancillae vocem contremiscebat, jam audeat in principum conspectu loqui confidenter, illis exprobrare perfidiam, illorum imperia jussaque contemnere, dicens: *Obedire oportet* (Act. 5. Act. 4.) *Deo magis quam hominibus*, et, *non possumus quae vidimus et audivimus non loqui*: et reliquis etiam apostolis, quibus antea vel ipse magistratum conspectus erat formidabilis, nunc tormenta gratissima, accusatio jucunda, dolor voluptas, poena foelicitas, dulcis infamia videbatur, usque adeo ut summae foelicitatis loco ducerent, se dignos existimari qui pro Christo contumeliis afficerentur. O divina virtus, et inaudita apostolorum constantia! O paterna clementia, et incredibilis misericordia summi Dei, qui cum paulo ante filium carissimum infinitis opprobriis affectum, vulneribus transfixum, sanguine perfusum, tot plagis caesum, ut toto corpore humanae crudelitatis vestigia conspicerentur, e terris ad se redeuntem suis manibus excepisset: nunc mortalibus tamquam bene de se meritis miserit Spiritum sanctum, ut hostium etiam suorum, quorum filius fuerat (Act. 5.) servator, doctor ille nunc atque consolator extitisset. Edocti ergo fuerunt apostoli atque confirmati divinitus: haec duo illis officia praestitit spiritus ille coelestis. Nam et illis aperuit divina consilia, et eorum animos ita fortes reddidit atque constantes, ut nullis periculis aut calamitatibus frangerentur: de quibus duabus rebus nobis hodie dicendum est. Nam primo de illo abditissimo sacrae triadis mysterio pauca dicemus, quod quia magnopere Spiritus sancti praesidio et lumini indigebat, statim post illius adventum ecclesia celebrandum curavit, deinde vero illud Christi vaticinium interpretavimur: *absque Synagogis facient vos*. Quod quantam vim passura esset veritas evangelica, significavit. Quapropter vos obsecro atque obtestor, sanctissimi patres, ut qua soliti estis caeteros attentione et benevolentia, nunc etiam me dicentem excipialis.

Inter reliqua abstrusiora mysteria, quae Christus optimus maximus Spiritui sancto explicanda suis apostolis reservavit, illud est longe caeteris excellentius atque divinius, et quod humanae, angelicaeque mentis superet cogitationem, quod hodierno die de tanta frequentia, laetitia, et exultatione Christiani celebramus: sacrae, inquam, triadis arcanum, de quo quis erit tam audax et emotae mentis, qui in hoc orbis gentium clarissimoque domicilio, in conspectu, inquam, vestro dicere audeat? Nam cum tria sint quae de re quavis quaeri soleant, an sit, quid sit, et qualis

res sit: si reperti sunt qui deum esse negaverint, et cum coeli enarrent (Psal. 10.) gloriam Dei, cum clamet haec pulcherrima mundi machina, tanta rerum varietate et splendore nitens: cum clamet haec splendidissima coeli facies, tot ardentibus syderibus, tamquam quibusdam facibus luminibusque distincta: cum clamet aer tot avium, vastissimum mare tot piscium generibus refertum, terra tot animantium frequentia, fontibus, fluminibus, et arboribus exornata: cum omnia denique quae hic mundi ambitus complectitur, apertissima voce testentur, esse aliquam vim coelestem quae rebus prospiciat humanis, tantumque et tam praeclarum opificium rectore aliquo et gubernatore carere non posse, non tamen defuere surdi, caeci, et improbissimi philosophi, qui neque has voces exaudirent, neque hanc tantam lucem viderent, neque moderatorem esse aliquem confiterentur, qui totius orbis clavum, imperiumque teneret. Si praeterea nosse quid sit Deus, sic est operosum et arduum, ut Plato Deum invenire difficile, nosse vero impossibile judicaverit: et Simonides rogatus a Dionysio quid Deus esset, tres dies ad eam quaestionem explicandam postulavit, deinde alios tres, rursus et alios, et quo magis in hujus rei consideratione demersus divinam naturam humanis viribus investigabat, eo se minus intelligere confitebatur. Si non modo philosophi, sed sanctissimi et sapientissimi theologi facilius et espeditius esse dixerunt, quid non sit, quam quid sit Deus explicare: quis poterit, quis, qualisque sit Deus non dicam exprimere dicendo, sed mente saltem et cogitatione complecti: Si angeli stupefacti et attoniti cum Christum ascendentem in coelum conspicerent, percussi quadam admiratione clamabant: *Quis est iste* (Isa. 63.) *qui venit de Edom tinctis vestibus?* Quis est iste rex gloriae: et illis verbis hujusce rei ignorationem apertissime confitebantur. Si Isaias, cum atrocissimam illius mortem vivis coloribus depinxisset, exclamat, *generationem* (Isai. 53.) *ejus quis enarrabit?* Si Paulus gentium doctor sublatus in coelum, et in illa consilia divinitatis admissus, cum illa secum perpenderet, in has voces prorumpebat: *O altitudo* (Rom. 11.) *divitiarum sapientiae, et scientiae Dei*, quis audebit in illam purissimam simplicissimamque sacrae triadis naturam sine temeritatis et imprudentiae nota curiosos oculos inferre? Quis erit (Psal. 75. Rom. 10.) tam temerarius, qui quod angeli, apostoli, prophetae, quod ipsi cives et incolae coelestes ignorant, se scire existimet, et explicare posse arbitretur? Exhorrescit animus, et ad tantae rei miraculum attonitus stupescit, et linguae atque mentis officium rei magnitudine longe superatur. Nam licet notus fuerit in Iudaea Deus, tamen ut creator, conditor, auctorque rerum omnium (licet gentibus etiam per ea quae facta sunt, cognosceretur) tamen ut rector moderatoremque mundi hujus: sed trinum et unum esse Deum, nullus unquam mortalium conjicere aut divinare potuit. Nam neque argumentum, neque exemplum aliquod natura suppeditabat, quod lucem aliquam tantis tenebris posset inferre.

Divinum hoc fuit Christi servatoris nostri et Spiritus sancti beneficium, qui coelesti fidei lumine sic Christianorum animos illustrarunt, et in ea persuasionem confirmarunt, ut etiam si angeli e coelo (Galat. 1.) dilapsi, aliud persuadere conarentur, fremant licet daemones, et discrucientur, licet extrema tyranni comminentur, nulla vis tanta excogitari poterit, quae ab ea possit sententia Christianum populum dimovere. Sunt plane in hac rerum universitate vestigia, sunt notae quaedam et umbrae hujusce rei, fateor: est animus hominis ad imaginem conditus similitudinemque divinam, qui mente, voluntate, atque memoria, sacrae triadis naturam adumbret: est in unaquaque re veritas, bonitas, et essentia: est sol hic splendidissimus, qui natura, lumine, et calore, aliquam (licet obscurissimam) hujus rei significationem exhibere videatur: est nescio quae divinitas, quam Pythagorica philosophia in ternario numero latere arbitrabatur: et nescio quid quod veteres philosophi hac de re suspicabantur: sunt praeterea quamplurima veteris instrumenti testimonia: est nonnulla populo Israelitico sacrae triadis exhibita significatio, fateor: sed quis obsecro mortalium iis vestigiis ad cognoscendam Trinitatem unquam progressus est? Quis haec animadvertit quousque orbis et servator, et doctor, re explicata, praebuit ansam, ut ejus rei, cujus cognitionem homines divino beneficio fuerant adepti, exemplum postea aliquod in hac rerum universitate conquirerent? ille veteres excussit umbras, et illa cubila, in quibus delitescere aliqua hujusce rei significatio videbatur, indicavit: ille remoto (Heb. 6.) velamine in sancta sanctorum humanae mentis aciem penetrare fecit: ille tribuit eam nobis facultatem, ut quod ipse docuit jam audeamus explicare: ille effecit, ut non modo Deum, et unicum Deum, sed tres simul in unitate naturae personas agnosceremus, Patrem qui fons est, origo, atque principium totius divinitatis, cui tribuitur aeternitas sine principio, bonitas immensa, quae neque in conferendis beneficiis defatigari, neque ingratitude aut sceleribus hominum exauriri: potentia, quae nulla senectute frangi, debilitarique possit. Filium vero (hoc est)

divinum verbum in ipsis paternae mentis visceribus conceptum ex immensa rerum cognitione gentium, qui splendor sit, species, figura, et expressissima imago paternae illius divinaeque naturae, rivus ex uberrimo fonte, radius ex sole splendidissimo porrectus, cui sapientia ipsa dicata atque consecrata est, in quo lucent et splendent rerum omnium imagines, cujus praesidio omnia pater confecit: qui Deus (*Heb. 1.*) cum esset misericordia motus, non modo ad vilem abjectamque hominis conditionem se demisit, sed postremas contumelias, mortemque descendit, ut morte sua vitam hominibus, libertatemque restitueret: et ut illis esset via quae errare: veritas quae decipi: vita quae mortales interire nulla ratione pateretur. Spiritum vero (*Ioan. 14.*) sanctum ex illis amoris flammis, quibus se pater filiusque complectuntur, procedentem, qui bonitatis fons, caritas ipsa, et pignus esset coelestis haereditatis: a quo pax, gaudium, solatium: a quo justitia, integritas, innocentia: a quo sapientia, bonitas, constantia: a quo libertas, sanctitas, perfectio, omnia denique coelestia munera, beneficiaque promanarunt: a quo illustrati prophetae, pastores eruditi, apostoli confirmati et inflammati sunt: ita tamen ut cum audiamus tres illas divinas personas nominari, non intelligamus unitatem illam simplicissimam naturae divinae trium personarum numero aliqua ratione violari, quo minus, licet tres sint personae distinctae, unaque alia non sit, omnes tamen unus sint simplicissimusque Deus. Et quamquam Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas tribuatur, non sic accipiendum, ut quod uni conceditur, caeteris auferatur: cum omnes eadem unaque bonitas, aeternitas, sapientia, divinitas, potentia, majestas, gloria, beatitudoque complectatur. Itaque ab hac divina admirabilique natura cum de ea loquimur, diversitatis verba longe removenda sunt, ne injuria aliqua simplicissimam unitatem afficiamus: tum vero divisionis ne simplicitati, disparitatis ne aequalitati, separationis ne tantae necessitudini, dissimilitudinis ne etiam unitati, singularitatis ne triadi, perturbationis ne ordini, solitudinis ne sacrosancto illi trium personarum consortio vim aliquam aut injuriam imprudenter inferamus: sed simplicissimam illam purissimamque sacrae triadis unitatem, quam docuit Christus, suasit Spiritus sanctus, celebrarunt apostoli, confirmarunt concilia, ecclesia edocta divinitus explicavit, et hodie proponit adorandam, supplicibus nunc animis veneremur.

Sed quo me rapuit insania? quo me per immensum hoc pelagus temerarius ardor, furorque pro-
vexit? quod ingredi angeli reformidant, et in quo tot Aarii, Macedonii, Sabellii, Eunomii, Marcelli miserum fecere naufragium? Complicemus igitur vela, et placidum aliquem securumque portum occupemus, ne fragilis, levisque nostra cymba longius provecta inter confragosas cautes iis tantis difficultatum fluctibus obruatur: et hanc tantam Dei majestatem, quam assequi cogitatione non possumus, proni atque supplices silentio et admiratione revereamur, gratulemurque sanctissimae triadi, quod cum hoc misero et calamitoso seculo, omnia ferme Christiana dogmata ab hostibus convulsa et labefacta sint, illa ex hoc tanto incendio salva et incolumis evolaverit: piissimaeque matris ecclesiae exemplum vestigiaque sequamur, quae cum dignam hoc tanto mysterio orationem invenire non posset, quod non assequitur exclamationibus colit, et in illas voces plenas admirationis laudisque prorumpit. O adoranda trinitas, o veneranda unitas, o perfecta deitas: tibi gloria, tibi gratiarum actio in sempiterna secula.

Sed venio jam, gravissimi patres, ad alteram orationis nostrae partem, et huic loco, et his temporibus magnopere accommodatam, ad Christi servatoris nostri vaticinium, ad eas, inquam, aerumnas et calamitates explicandas, quas Veritas evangelica passa est: in qua cum tot ecclesiae acerbissima vulnera se nostris oculis objiciant, vix se potest meus animus ingenti dolore et commiseratione pressus continere, quin mortiferas et insanabiles ejus plagas justissimis lacrymis et lamentatione prosequatur. Quis est enim tam ferreus, qui in tanta malorum acerbitate lacrymas possit continere? Qua in parte mihi visa est ecclesia sponsi dulcissimi Christi injurias atque cruciatus imitari. Nam sicut ille verberibus caesus, sic est dehonestatus, ut (quemadmodum vates et Isaias multo ante cecinerat) non modo (*Cap. 35.*) in eo decor aliquis aut pulcritudo, sed neque hominis forma aut species appareret: sic etiam ecclesiae pulcherrimam faciem, turpissimis (*Dan. 13.*) erroribus dehonestatam, deformatam videamus, et sicut ille tot plagis et vulneribus affectus est, ut nullus in eo locus sanus conspiceretur, qui novo vulnere excipiendo patere possit: sic nullum est ecclesiae membrum, quod aliquod hostium telum non exceperit: et quemadmodum ille ab ipsa infantia (*Rom. 1.*) pericula discriminaque mortis subire, et immensos labores perferre consuevit: sic illa impias et sanguinarias carnificum manus, et hostilem haereticorum audaciam inter ipsa crepundia experta est. Nam cum tria sint hostium genera, infesta evangelicae veritati, primum tyrannorum, qui crudelitate et gladiis ar-

mati inauditis tormentorum generibus homines ab illa revocare, et Christi sanctissimum nomen delere conarentur: alterum eorum, qui Christianae doctrinae puritatem, sicut improbissimi illi senes Susannae pudicitiam, vitare atque corrumpere studerent: tertium eorum, qui auctore Paulo, veritatem Dei in injustitia detinent, hoc est, illorum qui pravis moribus, et perdita vita, vim etiam inferunt veritati, ut illam elucere minime patiantur: ii omnes hostes statim in ipsis exordiis nascenti religioni bellum acerrimum indixerunt, nec passi eam adolescere ut viribus confirmata se colligeret, et cum illis aequo Marte congredi posset: infanti adhuc ecclesiae, et in ipsis incunabulis vagienti jam ipsi insidiabantur.

Tyrannorum sane caeca rabies et insania, auctoritate et potentia munita, in Christianorum innocentiam, omni nudam atque destitutam presidio, impune, crudeliterque saeviebat: et eo atrocius, atque crudelius, quod ea ratione Dei se partes agere, et se illi gratissimum obsequium exhibere arbitraretur. Rapiebantur itaque tunc qui Christo nomen dedissent ad tribunalia iudicum, et abstracti ex (*Joan. 12.*) ipsa Christi schola et ecclesiae complexu, tractique ad carnificinas, opprobriis et contumeliis affecti, vexati, torti, indicta causa condemnati ad supplicia crudelissima deducebantur. Sed pro res stupore et admiratione dignissima! vexata tunc et dilacerata ecclesia inter ipsas tamen carnificum cruentas manus majora in dies suscipiebat incrementa: et illorum qui pro Christo mortem oppetebant, effuso sanguine, veluti sparso semine, novi Christiani nascebantur. Ut mihi quidem sapienter Tertullianus martyrum sanguinem Christianorum semen appellasse videatur: et Augustinus, qui multo dixit esse pulchriorem evangelicam veritatem Graecorum Helena, pro qua multo fortius martyres contra Sodomam, quam pro illa Graeci contra Trojam dimicaverunt. Sed quamquam hoc hostium genus atrocissimum fuerit, quod ecclesiae sanguinem semper exsorbere cuperet, et illo suas passim secures cruentare, tantum abfuit ut id quod aptabat assequeretur, ut morte ipsa, qua existimabat se posse nascentem religionem extinguere, foverit et locupletaverit: et dum crescenti Christi gloriae invidet, illam multo reddiderit illustriorem.

Sed illud est longe atrocius atque crudelius eorum hominum qui in ecclesia nati, illius visceribus progressi, in ejus gremio atque sinu educati, in illius schola eruditi, ejus sanctissimis praeceptis instituti, et sacramento auctorati ab illa turpiter defecerunt: et in sanctissimam, piissimamque matrem contumeliosi, insanis erroribus illius tranquillitatem pacemque turbarunt: et carissimos ejus liberos illa miserabiliter flente et collacrymante ex ejus saepe complexibus abstulerunt, ut quae modo in ipsas tyrannorum armatas manus nuda, inermisque conjecta, non modo partam dignitatem conservabat, sed augebat: nunc pro dolor, non liceat illi per filios collectam tantis sudoribus et sanguine gloriam retinere. Quod quid acerbius et calamitosius excogitari potest? Conferte, gravissimi patres, tyrannorum potentiam cum haereticorum audacia, et invenietis tanto majora damna et acerbiores injurias ab haereticis quam a tyrannis ecclesiam accepisse, quanto est atrocius intestinum domesticumque bellum, quam externum: tantoque nunc illam esse moestiolem, quanto est funestius et calamitosius matrem a filiis quam ab hostibus dilacerari.

Multi antiquis temporibus ecclesiae hostes extiterunt, non est necesse commemorare: vos ipsi, gravissimi patres, recordamini, qui illam variis et miserabilibus modis afflixerunt: sed nunc quis moestissimam ejus faciem siccis oculis possit intueri? Habuit quondam tyrannos qui illam delere, haereticos qui discerpere, et distrahere conarentur: sed nunc non simplices tyrannos, non nudos et inermes haereticos, sed cum haeresi conjunctam tyrannidem, armatam contra se jam haeresim intuetur. Vidit quondam Iulianum aliquem, vidit Hunericum saevum Vandalorum Africae regem, Arianis faventem, illisque bona atque templa restituentem: sed nunc vix potest conjuratos contra se principes numerare. Vidit aliquando unam aut alteram provinciam haeresibus infectam et contaminatam: nunc vero ab ultima Scythia, ad extremas usque Europae partes, totum pene Christianum orbem veluti fretum aliquod aut Euripum erroribus aestuare: et non modo inquinatas provincias, regna, atque nationes, sed perditas jam et profligatas: non solum apertos hostes, sed occultos etiam inter ipsa filiorum latera cum maximo eorum periculo versari. Vidit quondam Encratitas, Catharos, Euchitas, acerrimos sane hostes, sed qui praetextu virtutis (unde nomen sortiti sunt) se in Christianorum animos insinuarent: nunc vero nullo religionis praetextu, sed specie quadam improbissimae libertatis, ejus amore perniciosissimae foventur opiniones, in ecclesiae perniciem irruere. Vidit unum aut alterum dogma Christianum labefactari, nunc integram religionem everti. Sensit membrum aliquod ecclesiae vulnerari, nunc vero totum illius corpus saucium atque cruentum intuetur. Vidit oppugnari aliquando fidem a perfidia, lucem a tene-

bris veritatem a mendacio, Christum ab antichristo: nunc vero sacrilegium cum haeresi conjunctum et copulatum conspicit. Videt enim spoliari templa, aras everti, omnibus ornamentis fana nudari, contemni leges, subsannari pontifices, irrideri sanctos, patriam avitamque fidem deseri, et quod est miserabilius, hostium gladios atque secures ipsis jam ecclesiae cervicibus imminere, trucidari catholicos, et ipsas Christi sanctissimas aras illorum sanguine madere. O rem acerbam et calamitosam! obsecro vos, obtestorque, sanctissimi patres, ne moleste feratis hoc in loco has aerumnas ecclesiae et miserrima naufragia saepe referri, et aures animosque vestros illorum commemoratione vulnerari. Liceat obsecro moestissimae matri apud carissimos filios lugere, ac lamentari suam infelicitatem, liceat vulneratae atque sauciae acceptas plagas et gravissima vulnera medicis detegere, liceat afflictæ sponsae ad sponsi dulcissimi pedes provolutæ conqueri de injuriis, infortuniisque suis: liceat illi hac saltem frui consolatione, quando alia non potest: ut vos qui illius filii, qui sponsi, qui pastores, et medici estis, misericordia commoti, erigere jacentem, alligare illius vulnera, et consolari lamentantem majori animi ardore et contentione studeatis.

Utinam mihi caelestis spiritus illam vim dicendi tribuisset, ut hanc tantam cladem et stragem ecclesiae vestris nunc oculis subicere potuissem, non dubito quin non modo vos qui illius vicem sortemque doletis, sed saxa ipsa atque lapides flere et lamentari cogissem. Non enim jam haeretici, sed monstra: non haereses, sed furiae in Christiana republica versantur. Nam scripturam divinam corrumpere et depravare, majorum instituta contemnere, doctorum auctoritatem negligere, conciliorum decreta despiciere, publicae paci et tranquillitati invidere, haereticis omnibus commune semper fuit et usitatum: sed bellum acerrimum et calamitosum, aris, templis, altaribus, imaginibus, legibus, sacrificiis inferre, sacramenta delere, et illa unica hostia corporis et sanguinis Christi, Christianas aras spoliare, jus omne ceremoniarum auferre, in omnes sacerdotum ordines impudenter invehî, sensus, sermones, libros, ira, odio, et stomacho ardere, non modo infestissimis animis, sed hostilibus armis velle religionem funditus evellere, atque delere: hoc sane hujus aetatis infelicissimae proprium est, ut nisi firmum staret Christi servatoris nostri promissum, inferorum (*Matt. 16.*) portas frustra contra ecclesiam esse conaturas, nunc mihi de illius interitu reformidandum esse videretur.

Quid ego, gravissimi patres, in vestrum sanctissimum ordinem jactatas referam contumelias? memoriae proditum est Arianos conatos fuisse ecclesiae pastores, qui illorum furori acriter resistebant, de medio tollere: itaque Antiochiam Eustathio, Adrianopolim Eutropio, Constantinopolim Paulo, Alexandriam Athanasio, Italiam Dionysio, Galliam Paulino nefarie privaverunt. Ut sublatis gubernatoribus (sicut dixit Cyprianus) ipsi liberius circa ecclesiae naufragia grassarentur. Nunc vero nostri saeculi homines non contenti Angliam universam, magnamque Germaniae partem orbatam pastoribus reliquisse, et ceteris jam etiam provinciis insidiari, clavum totius ecclesiae a Christo servatore nostro Romano pontifici traditum (o singularem audaciam) ex illius sanctissimis manibus extorquere nituntur: quin etiam et Carolo invictissimo imperatori, et Christianae religionis assertori imperium aliquando auferre conabantur: ut iis duobus luminibus extinctis, Cimmerias ipsi tenebras in Christianam rempublicam inferrent. Quid ego tempestates ab illis excitatas commemorem? Quid ecclesiae bona direpta? Quid servos contra dominos armatos, et trecenta hominum millia trucidata? Quid trecenta in Franconia spoliata monasteria et illa quae nunc ceteris in provinciis passim diripiuntur? Quid combustas publice sanctissimas ecclesiae leges? Quid Solymanum, infestissimum Christianae religionis hostem ab illis sollicitatum, ut Christi sponsam saevissimis Turcarum armis dilacerandam objicerent? Sed haec vetera. Quid illas pugnas, perturbationes, incendia, caedes, quae quotidie ad aures vestras tanto cum omnium dolore auferuntur? hoccine est esse Christianos? hoccine est esse evangelicos? hoccine est esse Christi discipulos et imitatores? O tempora misera et infelicissima, qui questus, qui moeror, quae lacrymae, quae oratio digna his tantis malis inveniri potest?

Quid primum conquerar, patres? numquid illorum interitum qui ab ecclesia defecerunt deplorabimus? O Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati? O clarissima Germania, cui ecclesia Romana simul cum religione sanctissimum quoque tradiderat imperium, ut cujus fidem constanter retinebas, illius etiam dignitatem contra hostium injurias victricibus armis conservares. Quo animo et quo vultu illamet arma sacrosancta, quae ad ejus salutem tuendam tuae fidei commissa sunt, in materna viscera convertere potuisti? Quis religiosissimam gentem subvertere, sapientissimam decipere, fortissimam et constantissimam ab inveterata religione potuit deturbare? Tuque etiam

Christianissima quondam Gallia, quae ob eximiam pietatem et religionem hereditarium hoc nomen a majoribus acceptum, illaesum atque inviolatum tot saeculis conservasti, quae tot habeas domestica exempla regum sanctissimorum, quae tantam gloriam eras adepta, ut nullum esset regnum, nulla natio, nulla provincia, in qua non Gallorum vestigia religionis gratia impressa conspicerentur: nullaque tam semota regio, in quam tuae pietatis fama non penetraverit: Quis te fascinavit non obedire veritati? Quis e tanta gloria dejecit? Quis tibi hanc tantam invidit felicitatem? Teque etiam Anglia, vosque reliquas nationes, ceterosque mortales appello, qui matrem sanctissimam ecclesiam deseruistis. Quis vos ab ecclesia Romana, quae est sponsa Christi, quae est arca Noe, extra quam non est salus, quae est sancta illa civitas Hierusalem, segregavit? et paucorum hominum temeritati et audaciae parere fecit? Quis vos fascinavit non obedire veritati?

Respicite, fratres, aliquando, et hos Sirenum cantus, qui vobis falsa quadam libertatis specie blandiuntur, sed lethalem somnum comminantur, fugite, et piissimae matris ecclesiae vocem agnoscite, afflictas atque calamitosas, et interitus vestri dolore confectas miseremini. Quae nunc vos magnis ad se vocat clamoribus, quae sinu redeuntis excipiet, quae consertis brachiis vos summa benevolentia complectetur, quae suarum calamitatum amplius non recordabitur, quae lata lege oblivionis acceptas injurias sempiterno conteget silentio: Quam quidem moestam, sordidatam lugubri habitu, obortis lacrymis ad genua vestra provolutam sic vobiscum agere existimate. Quis vos, filii mei carissimi, a meis complexibus abstraxit? quis praecepta mea tam longa saeculorum serie, tot sacrorum conciliorum et doctorum auctoritate firmata docuit negligere? cur illam viam quam apostoli, martyres, pastores, tot doctissimi, et sapientissimi homines ingressi sunt, quam et Christi et martyrum sanguine tinctam videtis, deseruistis. Stupescat caelum, me fontem aquae vivae dereliquistis, ut pertusas et dissipatas cisternas sequeremini? Cur meo sacramento auctoritati milites, parentis signa deseruistis? Cur meum suavissimum jugum e vestris cervicibus expulistis? Quod ego tantum contra vos concepi scelus, ut quos genui in Christo, quibus vitam dedi, quos lactavi, quos indulgentia materna fovi, quos in spem caelestis hereditatis erexi, pro quibus nunc et preces et lacrymas fundo, vos discipuli in magistram ingrati, filii in matrem crudeles, amici in sponsam sitis contumeliosi? O et me miseram, et vos infelicissimos.

Sed emergat, jam ex iis vadis oratio, et istos doloris atque lacrymarum scopulos praeterverta se tandem ad investigandum aliquod tantis malis remedium, consolandamque moestissimam matrem convertat: qua in parte quem primum invocabimus patres? Cujus auxilium implorabimus? Numquid Dei? at vereor ne peccatis et sceleribus nostris offensus avertat oculos, aures occludat, et illud nobis supplicantibus, quod olim populo Israelitico, respondeat: Neomenias et sabbata vestra odovit anima mea. Neque enim ullam aliam tantorum malorum causam extitisse arbitror, quam populi Christiani flagitia. *Propter peccata tua* (inquit Deus per Hieremiam, alloquens veterem ecclesiam) *relinqueris sola* (Jerem. 17.) *ab hereditate tua quam dedi tibi, et servire te faciam inimicis tuis.* Ego sane, gravissimi patres, cum miseram horum temporum conditionem, et calamitosum rerum statum considero, videor videre incensum ira atque indignatione dominum, evaginato gladio sponsam ob filiorum scelera vulnerare, et illi servitutem atque solitudinem comminari. In tantis vero malis unicum video esse remedium praesidiumque lacrymarum: ut ploremus coram domino, ut tantum istud incendium in ecclesiae fortunis excitatum expressis dolore peccatorum lacrymis restinguatur: ut sacram quam hodie colimus triadem invocemus, ut conniventem in nostris calamitatibus dominum, et veluti nostris malis indormientem illis regii vatis vocibus excitemus: *Exurge* (Psal. 43.) *domine, quare obdormis? exurge, et ne repellas in finem: quare oblivisceris inopiae nostrae, et tribulationis nostrae?*

O pater caelestis, numquid ecclesiam quam tibi atrocissima filii morte consecrasti, incendi nunc ab hostibus, diripi atque vastari patieris? cupis ne fortassis in alias illam puriores sedes transferre? et sicuti quondam Hierosolymae, Asiae, Graeciaeque templa, nunc etiam reliquae Europae sanctissima domicilia tuorum martyrum sanguine consecrata ab hostibus occupari sines? Si nihil nostris precibus, si nihil ecclesiae lacrymis, si nihil eorum qui passim jam pro tua gloria trucidantur sanguine vocibusque moveris, respice in faciem Christi tui: ut haec tua justissima indignatio peccatis nostris sceleribusque concepta, illius conspectis vulneribus pro nostra salute susceptis mitigetur.

Teque etiam humanae libertatis assertor atque magister Christe Iesu, spes unica, solatiumque mortalium, e cujus cruentis vulneribus simul cum sanguine mortalium salus, vita, felicitasque

promanarunt: te, inquam, appellamus, numquid sponsae, cujus causa mortem atrocissimam subiisti, oblivisceris? numquid oves nota crucis inustas, quae signum semper salutis fuit, a lupis misere dilacerari permittes? numquid non illas jam inimicorum voces in nos jactatas exaudis: *Ubi est Deus eorum?* quibus nihil esse potest vel tuae clementiae contumeliosius, vel ad nostram calamitatem acerbius.

Teque, Spiritus sancte, qui veritatis splendidissimo lumine Christianorum animos illustras, numquid patieris ut omnia nunc tenebris errorum occupentur?

Teque, virgo sanctissima, piissimaque mater, quam voluit Christus esse veluti aram religiosissimam, ad quam in rebus afflictis et calamitosis confugeremus, quam omni honore, et tuo nos patrocinio spoliare homines perditissimi conantur.

Teque, princeps apostolorum Petre, cujus humeris hanc molem ecclesiae Christus imposuit, cui clavum eripere, cujus successores pontifices Romanos, e sede deturbare nituntur.

Vosque, fortissimi martyres, felices animae, incolaeque caelestes, quos ecclesiae custodes, mortaliumque patronos Deus esse voluit, quorum immortalibus meritis minime nos adiuvari ecclesiae hostes arbitrantur: vos, inquam, omnes imploramus, vos hanc funestam flammam a vestris altaribus, ab ecclesia Christi, et Christianorum mentibus, removete: ut hic tantus impetus, quem humana imbecillitas sustinere non potest, divina vestra virtute comprimatur.

Hoc est unicum singulareque perfugium sanctissimi patres, ut ad divinam clementiam, ad vota, preces et lacrymas confugiamus. Quod si ullum ab hominibus ecclesia sperare auxilium potest, id nunc totum in vobis situm et collocatum est: vos illam consolari, ejus lacrymas abstergere, vos illius sordes abluere, et pristinum illi splendorem restituere potestis. Vos illa nunc per Christi crucem et sanguinem obsecrat et obtestatur, ut afflictae et calamitosae matri subveniatis, ut jacenti porrigatis manum, eripiatis ex hoc misserrimo naufragio, et ereptam in portu aliquo ubi conquiescat, salvam et incolumem collocetis: vosque imprimis appellat, illustrissimi legati, quos divina bonitas in hoc altissimo ecclesiae vertice collocavit, ut omnia circumspicere, videre et illustrare deberetis: quos hac purpura exornavit, ut mortis Christi admoneret, et ut illam, si esset opus, rubicundiorum effuso pro Christi gloria vestro sanguine redderetis. Vosque etiam sanctissimi patres quos caelestis sapientia pastores et esse et appellari voluit, ut nullum periculum aut laborem recusandum, sed crucem etiam atque mortem pro salute ovium, et ecclesiae dignitate sustinendam arbitrarentur, vos inquam, omnes appellat, vestram fidem implorat, vos obsecrat, ut viam nunc investigetis, qua, si non pristinum decorem recuperare, has saltem quae supersunt reliquias contra furorem hostium tueri, conservareque possit.

Ad quam quidem rem obtinendam sunt qui veterem illam severam morum disciplinam in primis revocandam arbitrentur, quorum sententiam quis est qui non probeat? qui non ducat salutarem, et ad placandam divinam indignationem magnopere pertinere non videat? Illas audio, gravissimi patres, tota Germania jactari voces: fides antiqua, mores antiqui, in quibus sicut est aliquid quod probeat, sic etiam est aliquid quod molestissime feram, et gravissime dolendum atque reprehendendum putem. Illis etenim verbis primo significant se non ob aliud ab antiqua fide degenerasse, quam quod nos ab antiquis moribus deflexerimus: quod quis non intelligat summopere esse deplorandum? Quid enim potest indignius excogitari, quam tanti sceleris culpam in ecclesiae corruptos mores transtulisse? An quod me ignavum videris militem, tibi transfugam et proditorem esse licere existimabis? Quod ego sim ambitiosus, tu parricida? Quod ego superbus, tu in Deum et sanctos contumeliosus? An quod gubernator dormiat aliquando, et qui in navi feruntur sint profligatis moribus, tu navim perforabis? Quod domestici sint improbi, tu domum incendes? Quod cives sint iniqui, tu civitatem hostibus diripiendam dabis? O summam hominum caecitatem. Sed quamquam illorum caecitas lacrymis sit et commiseratione dignissima, qui hac occasione tantum in se scelus admittendum putaverunt, nos tamen illorum reprehensiones, tacitas quasdam Christi servatoris nostri voces, suam ecclesiam per inimicos excitantis et admonentis existimare debemus: praesertim cum illi hac potissimum via ad expugnandum ecclesiam, seducendamque popularem multitudinem progrediantur. Nam si quid est in ecclesia depravatum, si quid corruptum et contaminatum, id solum curiosissime notatum in unum quasi acervum congesserunt, id habent in numero, id in gymnasiis, in suggestis, in publicis privatisque colloquiis, in templis, in foro, in angulis, in concionibus, in omnibus hominum circulis, id inquam unum sermonibus et libris populo jactant, hoc unico argumento et errores tuentur, nos in odium adducunt, et temeritatem concii-

atae multitudinis ad iram et insaniam impellunt, et inflammatis odio facile quod optant persuadent.

Haec sunt illorum arma quibus ecclesiam oppugnant, quae ex eorum manibus eripi alia ratione non possunt, quam si haec imprimis ecclesiae vulnera sanentur: quae vobis nunc, gravissimi patres, summo studio atque diligentia curanda sunt, ut restituta sanitate, revocataque ecclesiae pulcritudine, cum in illam hostes conjecerint oculos, se deceptos intelligant, et illius amore capti in ejus ruant amplexus, maternumque in sinum revertantur. Vicistis mihi credite patres et non modo arma, sed captivos et spolia hostibus ademistis, si modo deformatae ecclesiae antiquam faciem atque formam restituatis. Sed quid ego haec apud vos, quos potius omnium laudibus celebrandos, oratione excitandos, aut animandos intelligam? quos cum ego tanta hujusce rei cupiditate flagrare videam, quam cujusquam soleam ingentes Deo immortalis gratias agere, qui eam vobis dederit mentem, ut honori, dignitati, omnibus commodis et utilitatibus vestris ecclesiae causa renunciandum esse judicaretis. Et merito id quidem facitis, sanctissimi patres: quis est enim per Deum immortalem, qui hoc praesertim calamitoso et funestissimo saeculo cum ovium salus, cum ecclesiae dignitas, cum Christi gloria in summo discrimine periculoque versantur, non modo dignitatis suae, sed salutis etiam et vitae dispendio ecclesiae incolumitati subveniendum non ducat? Si Christus ipse ad abjectissimam servi conditionem, hominis causa se dejecit, ego pro illius gloria nihil de mea dignitate patiar esse deductum? ipse terrae caelique conditor ac dominus, extremam paupertatem et indigentiam, acerbissimasque contumelias sponsae suae amore sustinuit: et ego meas utilitates ecclesiae saluti antefendas putabo? Ipse ludibrio habitus, inter sceleratissimos latrones in crucem actus, se crudelissimae morti pro mea, ecclesiaeque salute devovit: et ego non patiar dignitatis vel fortunarum mearum vel minimam fieri jacturam, ut minanti interitum ecclesiae suceurratur.

Liceat verum dicere, gravissimi patres, sanctissimi illi primi ecclesiae pastores, clarissimique principes apostoli, humiles, abjecti, pannosi, texendorum tabernaculorum artifices, coriarii, piscatores, non minus inter pannos illos et retia, quam inter aurum et purpuram apostolicam dignitatem retinebant. Illa est vera gloria, illa vera dignitas, et apostolica majestas, velle contemptum, gnobilem et abjectum esse, ut Christi gloria, ecclesiae salus atque dignitas conserventur. In hanc igitur unam curam et cogitationem dies et noctes sicuti facitis, gravissimi patres, incumbite, ut rebus omnibus posthabitis atque neglectis, uni solum ecclesiae saluti consulatis: quae tota nunc e vestra fide, sapientia, auctoritateque pendet: quae in summam nunc spem salutis erecta est, cum ad eam obtinendam videat vobis neque voluntatem deesse, neque facultatem. Habetis enim illa praesidia et adjumenta, quae nullus mortalium (in tanta praesertim rerum perturbatione) non dicam sperare, sed neque optare unquam potuisset. Vota per totum orbem Christianum, hujus rei causa, suscepta sunt: omnibus omnium ecclesiarum altaribus supplicatur, continuis precibus et lacrymis divina sollicitatur misericordia: habetis sanctissimorum patrum, doctissimorumque hominum frequentiam innumerabilem: habetis clarissimi imperatoris, potentissimorumque regum, rerumpublicarum, principumque Christianorum legatos, quorum dulcissimo conspectu recreatur ecclesia, et sibi vobisque summam securitatem pollicetur, qui non modo consilio atque prudentia, sed armis etiam atque potentia auctoritatem et decreta vestra fortissime tuebuntur. Quae quidem omnia Pii IV. pontificis maximi domini nostri singulari beneficio adepti estis: qui ut ecclesiae subveniret, nullis laboribus, sumptibus, impensis parcendum judicavit: qui omnes principes Christianos, omnes ecclesiarum omnium pastores, ad tuendam illius dignitatem, quam et vita et rebus omnibus cariorem ducit, tanta sollicitudine et industria e suis sedibus excitavit, ut mihi quidem in rebus prope desperatis, signum aliquod salutis sustulisse videatur.

O pater sanctissime, cujus cum ego flagrans studium in cogendo concilio, in tot pastoribus convocandis, in tot regum, principumque Christianorum accersendo praesidio, in sollicitandis etiam ipsis Christianae religionis hostibus omni benevolentiae significatione: cum haec, inquam, omnia tacita mentis cogitatione perpendo, te quidem divina bonitate, et clementia in hac tempora infelicissima reservatum intelligo: quibus praeter te nullus alius subvenire aut mederi potuisset. Fruere, pater beatissime, hac tanta tua gloria et felicitate, te totus Christianus orbis assertorem suae libertatis agnoscet: tibi non homines modo, sed angeli etiam, civesque caelestes plaudent, et gratulabuntur: tibi se ecclesia suam salutem debere confitebitur: tibi Christus, cujus vices geris, coronam virentibus perpetuo floribus iis tantis tuis laboribus virtutibusque dignam, suis jam manibus intexit, eam sacrosancto venerandoque tuo capiti impositurus: tibi non modo praesens saeculum, sed ipsa posteritas gratulabitur, et hanc tuam pietatem incredibilem, quam et operibus et

nomine profiteris, sempiternis laudibus celebrabit. Quid igitur restat, gravissimi patres, ut finem aliquando dicendi faciamus, nisi ut quando neque tempus committat, neque majora, quam illa quae nunc habetis praesidia, sperare potestis, summa celeritate et festinatione, in qua ego omnem spem sitam et collocatam arbitror, ad stabiliendam et confirmandam ecclesiam remis velisque (quod aiunt) contendatis. Nostis optime, sanctissimi patres, ecclesias vestras innumerabiles, nunc pastoribus orbatas, in maximo periculo versari? Nostis praeterea hanc sanctam synodum sepe coactam, temporum injuriis, bellorum tumultibus, inimicorum insidiis dissolutam, dissipatamque fuisse: Nostis etiam Uvitembergenses theologos principem suum, cum exercitu quondam dissipandum concilium armasse: omnia nunc tentabunt, omnia expetientur. Adest hic vicina Germania, quae non mediocriter hujusce rei extremam sententiam, damnationemque reformidat: mihi credite, licet in ipsis Alpium visceribus inclusi, iis tecti satis atque muniti montibus et rupibus videamini, in hos etiam angulos subita et inopinata hostium arma penetrabant: videorque mihi aliquando videre concussum tumultibus orbem, armorum strepitum audire, Hannibalemque ipsum ad portas, hostes, inquam, ad ista montium ostia faucesque consistere, vosque, gravissimi patres de fuga solum et salute vestra cogitare, et simul cum fuga discessuque vestro, miserrimae matris ecclesiae interitum funusque contemplor. O rem miserrimam, et omnibus saeculis deplorandam: si modo (quod Deus avertat) hic tantus, tam illustris, clarissimusque coetus vester, re infecta dissolvatur, actum est de religione Christiana. Exultabunt adversarii, ingentes animos concipient, alacres et laeti volitabunt, se vera sentire, nos errare: nobis infensum, sibi Deum propitium esse jaclabunt, et veluti jam de nobis parta victoria gloriabuntur: ecclesia vero omni spe destituta, omni orbata praesidio, quid aget? quem invocabit? quo se vertet? cujus opem et auxilium implorabit? quem locum hostibus vacuum reperiet quo se valeat recipere? quam sibi imposterum spem pollicebitur? numquid ut iterum synodus cogatur? Quin potius metu examinata, omni spe destituta, praeteritae calamitatis memoria, et impendentis timore confecta cedet misere suis hostibus, in triumpho captiva ducetur, et in praedam illis exhibita, se ab illis dilaniari, dilacerarique patietur.

Quae quidem mala ne illi eveniant, vobis, gravissimi patres, celeriter providendum est. Efficite nunc cum silent arma, cum nondum hic bellorum strepitus exauditur, cum omnes in summam spem volunt vestris pendere sententiis, ecclesiaeque salutem contineri arbitrantur: cum oracula hujus concilii ab omnibus provinciis suspensis animis, tamquam unicum et singulare tantorum malorum remedium spectantur: ne frustra de sapientia, consilioque vestro totus Christianus orbis sperasse videatur. Efficite, patres, ut vel illas provincias, quas nondum furor hostilis invasit, tutas, firmas, atque constantes decretis vestris sanctissimis conservetis: vel quod ego de divina bonitate, vestraque sapientia mihi polliceor, ut cor illud unum et unica anima, quam Spiritus sanctus omnibus Christianis voluit et fecit esse communem, et quorundam licentia multis nunc erroribus distraxit atque dissipavit, iterum divina vestra virtute coeat et copuletur: ut omnium sit unus animus, una fides, unus spiritus, quorum unus est Deus, unicusque servator Christus, cui sit laus, decus, honor, gloriaque sempiterna. Amen.

XI.

DISCURSO PRONUNCIADO ANTE EL SACROSANTO CONCILIO DE TRENTO.

EN 20 DE JUNIO DE 1562 SOBRE NO DEBER PERMITIRSE A LOS LEGOS EL USO DEL CALIZ

por el Dr. Gaspar Cardillo Villalpando, de Segovia.

Scio ego, illustrissimi et reverendissimi legati, sanctissimique patres, neque culpa, neque reprehensione vacare eum interdum solere, qui minime illud requirentibus consilium praebet: tum maxime cum ii quibus consultum volumus, praestantissimarum artium nolitia, pietate, consilio, et multarum rerum usu clari sunt, qualem unumquemque vestrum esse, omnes plane et agnoscunt, et fatentur libenter. Nam etsi non sus Minervam, (ut est in proverbio) inepte (ut ille ait

quisquis Minervam docet: Vestra tamen humanitas atque animi candor, quae multis faciunt animum ad dicendum: deinde studium vestrum, et accurata diligentia, ad exquirendam aliorum sententiam, cum qua vestram conferatis: ut ea ratione quod optimum est, ecclesiae Christi convenientissimum, intelligere atque amplecti possitis: praeterea Christiani hominis, sacerdotis, atque theologi officium, a quo me non omnino abhorreere aperte confiteor: demum persona illa, quam in hac sancta synodo sustineo, dum vicariam operam navo amplissimo episcopo Abulensi, hortantur me, ut, quod de quaestione proposita sentio, exponam breviter, atque illud vobis sanctissimi Patres renuntiem. Quod dum efficimus, non tam vobis consilium damus, cujus admodum estis locupletes, quam ut memoriam vestram refricemus, negotiis aliis, curisque impeditam, gravemque. Tametsi enim nos ingenio, iudicio, literis, atque prudentia parum valeamus, audemus tamen, divina Christi Iesu (cujus negotium agimus) ope freti, candide atque ingenue animi nostri sensa depromere, atque exprimere dicendo, non ignari saepenumero ita evenire, ut vel olitor satis loquatur opportuna.

Hoc onere quod subimus modo, facile quidem levaremur, si, cum est de usu eucharistiae publice, in conspectu vestro, a theologis disputatum, orationem, more caeterorum, habere potuissemus: sed quando adventus nostri ex Hispania in hanc civitatem tarditas dicendi nobis opportunitatem eripuit, ne feratis, obsecro vos, iniquo animo patres, ejus hominis scriptam sententiam diligenter inspicere, quem vestra consuetudine, intentis animis coram disserentem de hac ipsa quaestione simul cum caeteris, si in tempore Tridenti adfuisset, eratis audituri: neque enim tam nullius pretii, neque tam omnibus obvia atque exposita ea quaestio est, quam vestris ingeniis in praesentia exercetis, ut poenitere vos unquam jure possit impensae illis legendis operae, quae de eadem domi theologi meditantur officio pietatis impulsus, et charitatis studio ducti, primum quidem erga sanctissimum istum, atque numeris omnibus absolutum ordinem vestrum: deinde erga ecclesiam Romanam, charissimam Christi sponsam: quam cum cernamus, neque sine summa acerbitate atque animi dolore, indignis et miseris modis ab impiis haereticis dilacerari atque discerpi, qua parte possimus, debemus eidem opitulari.

Quis est enim tam temere audax, usqueadeo consilii atque rationis inops, qui non videat magnum adversus Christianam religionem momentum in ea re situm esse, si contra quam par sit et ratio postulat, Germanis, aliisque privatis quibusdam nationibus, vestris decretis (hoc est, ecclesiae universalis iudicio) liberam facultatem facialis bibendi calicem, quem antiquitatis consensu, gravibus et doctis rationibus, lata lege, laicis olim, et sacerdotibus, qui eucharistiam non conficiunt, ademeratis. Prius igitur quam de re quidpiam statuat patres, diligenter eandem, quemadmodum coepistis, quaeso animadvertite: ne, si negotio confecto, aliter quam velitis res accidat, (quod avertat Deus) sera sit poenitentia: magno etenim opere occurrendum est vobis, patres, illi morbo, qui si semel contractus sit, aut curari difficile possit, aut facile in alios contagione saevire. Ne vos tamen ultra quam satis est, oratione mea suspensos tenens, in publica commoda, quibus procurandis occupati estis, peccare videar, quanta maxima possim brevitate, de re proposita sententiam dicam, atque ita dicam, patres, ut illam iudicio vestro perinde atque me, subjectam esse libentissime feram, et studeam.

Quaestio illa quae perplexos, atque ancipites animi multos tenet eventus expectatione (sit ne laicis, et sacerdotibus non facientibus sacra, calix porrigendus) cum proximis superioribus diebus (quod vos probe nostis) ferventiori quorundam studio agitari coepta sit, admirabili quadam providentia, aut divino potius consilio, omnium ferme calculis missa facta est, atque in commodius (ut dicebatis) tempus rejecta: hanc eandem quaestionem, patres, in medio cursu aliarum gravissimarum rerum hoc temporis articulo sunt qui revocent, atque urgeant tam magnis conatibus, tamque impotentibus animis, ut suspicari liceat non tam eos sollicitos esse, ne vos quidpiam contra dignitatem vestram, atque auctoritatem sacrosancti oecumenici concilii admittatis, quam ut ipsi festinatione suscepta voti compotes evadant. Quod si nullum aliud nobis argumentum superesset (quae multa quidem et potentissima sunt) ad persuadendum de huiusmodi quaestione amplius tractandum non esse, neque movendam rursus hanc Camarinam.

Illud unum magnam abunde fidem facere possit, quod eam, non suo tempore, vestris suffragiis definiri huius negotii architecti atque patroni postulant. Neque enim vos latet, in quavis quaestione, ad quam definiendam consilio opus est, magni in utramque partem temporis rationem momenti esse. Nunc vero qui intempestive, hoc est, alieno tempore, atque una cum aliis gravissimis,

et praestantissimis quaestionibus controversiam hanc poscunt a vobis dirimi, deliberandi ansam infringunt, et libere cogitandi facultatem eripiunt: neque enim tam exiguo tempore, et tot ac tantis negotiis impedito, ingenii lumen atque animi vis, qua plurimum ad difficillimam controversiam dirimendam indigemus, exercere se ulla ratione potest: neque illustre aliquod veritatis vestigium apparere, quam summi philosophi in profundo demersam esse in scriptis suis nobis reliquerunt. Fit enim ita postulante natura, quae nobis animum admodum angustum fecit, ut dum multa minamur, feriamus recte nihil: atque agitantibus multa, procedat parum. Huc accedit, quod rerum usque adeo diversarum confusio, atque ordinis, ex quo cuncta bene procedunt, perturbatio, cum non aliunde, quam ab omnium malorum artifice, atque satore diabolo, qui rerum, quae a nobis ordine et ratione geruntur, capitalis imprimis hostis est, ortum habeat, quo pacto boni cujuscumque causa esse possit, non satis intelligo.

Timeo enim graviter, patres, ne dum parum opportune quaestionem minime necessariam discutere in animum inducitis, non modo caetera negotia deseratis, de quibus his diebus agere coepistis, et quibus expediendis dixistis diem, sed (quod ego non sine lacrymis meminisse possum) re infecta, sanctissimi isti ecclesiae conventus dissolvantur: nam qui usque adeo enixe, quodammodo contentiose dant operam, ut calicem Germanis, atque aliis quibusdam nationibus, minime illum fortasse poscentibus porrigatis: ubi quod tantopere laborant, se minime consequutos viderint (quod ego vehementer cupio, et futurum spero) prae animorum impotentia, quam dejecti ab spe inducere atque gerere solemus, in illud unum totis (quod ajunt) nervis intendent, ne sacrosancta comitia vestra universi orbis Christiani ardentibus desideriis, crebris suspiriis, maximisque vestris laboribus atque sumptibus coacta longius procedant: quod si fiat, non fiet sane sine summo dedecore, atque ignominia vestra, patres, neque sine reipublicae Christianae detrimento, quae in hac sancta synodo universam ferme spem suae salutis collocavit. Sed tu summe Deus singularis, atque unice Christiani coetus patrone, teterrimam istam pestem terris averte.

Non obscura, neque ignota vobis, patres narro, vos hujus sententiae meae testes appello, qui propriis illam vocem auribus in publica concione hausistis: nisi hanc rem procurantibus mos generetur, non poterit fortasse concilium habere foelicem exitum: quorsum vero haec infausta, feralisque vox pertineat, scitis patres: et quid portendat scitis. Caeterum cum vobis hac in re, perinde atque in caeteris omnibus, quae ad suscipiendam, tuendamque religionem spectant, parere principes debeant, reges, atque imperatores: cum vos ipsi reliquis omnibus leges praescribere, atque jura dare debeatis, non accipere ab aliis: cum minime occasiones temporum ignoretis, gerendis rebus ecclesiae pro dignitate accommodatas, convenientesque: Sumite, obsecro, atque obtestor vos per Deum immortalem patres, concilii capiendi, deliberandique de re usque adeo gravi tempus idoneum. Et quando impraesentiarum multarum aliarum numero rerum, pondereque satis oppressi estis, futuram aliquando opportunitatem expectate: quod superioribus proximis diebus prudenter admodum facere coeperatis: suppetet illa vobis, cum reliquis id genus curis, negotiisque fueritis expediti.

Quod si vos susceptam jam, atque in consultationem adductam nuper de hac re disputationem, nisi ea plane absoluta sit intermittere parum decorum putatis, excutite, si placet jam vestris humeris molestum hoc jugum, atque vos suspendio isto tandem liberate: Ita tamen liberate patres, ne vitalem Christi sanguinem profundi quispiam possit cum ratione putare: quod nullo negotio consequemini, si nemini calicem alteri propinaveritis, nisi qui concilii Constantiensis et Basileensis decreto, quod vetus firmavit consuetudo, illum hactenus biberunt. Tametsi enim vobis integrum sit, vetustam hanc consuetudinem de medio tollere, et si velitis, penitus abrogare, qui una cum Christi sanguine, reliquorum etiam mysteriorum ab eodem ministri et dispensatores estis constituti: ita tamen altissima ecclesiae mysteria a Christo Iesu servatore nostro edocti, jusque dispensare debetis, ut fideles decet dispensatores. tales autem nusquam eritis, nisi gravis imprimis causa sit, quae id facere jubeat, et quam interroganti intrepide ac sine rubore possitis reddere.

Ego vero sic existimo, patres, non solum nullam legitimam causam esse, sed neque fingi posse, cur de consensu vestro calicem laici bibant: plurimas autem superesse, quibus si rem accurate atque adamussim expendatis, facile doceri possitis, persuaderique, antiquum ut morem Christianae reipublicae vestrae retineatis: neque pati ullo modo velitis ab eo quempiam discedere latum unguem. Has in praesentia vobis commemorabo patres, ne si rusticano pudore impeditus

faceam, officio quod ecclesiae debeo, defuisse videar: vos illas admirabili iudicio vestro, et prudentia pene divina diligenter considerate, atque excutite: hinc autem ut oportet initium sumam.

Si calix ullis est hominibus vobis hoc tempore porrigendus, aut is est porrigendus haereticis, aut fidelibus, nihil est medium: neutris tamen vestra auctoritate concedi debere aut posse, gravissima multa incommoda, quae utramvis sententiae partem consequuntur, plane atque aperte declarant: et praeterea probabilis ratio nulla superest, qua facere jubeamur. Etenim qui Romanae ecclesiae obtemperant, neque causam, neque rationem ullam habere mihi videntur, qua adducti calicem a vobis petere possint, nisi sibi persuaserint, minime sub alterutra specie Christum integrum contineri, aut verum eucharistiae sacramentum non esse, aut denique ulla quantumvis exigua gratia destitui nos, dum alteram tantum speciem sumimus, quae sit ad salutem homini necessaria: quem dum nimium impotenter calicem expetunt, animum prodere proculdubio videntur: sed hos scrupulos vos ipsi jam patres sanctissimi condita lege, proxima sessione omnium animis examistis, ut concilia duo generalia praetermittam, Constantiense et Basileense, in quibus de re eadem decretum ecclesia confecerat: tanti vero apud nos (modo pie, christianeque simus instituti) ecclesiae auctoritas, et caritatis opinio valere debet, qua nos illa semper, tanquam piissima mater liberos, tenerrime prosequuta est, nostraque commoda procurat, ut posthabito, atque abjecto procul quocumque affectu, quem fortasse nos erga calicem hunc temere admodum induimus, gerimusque, illi uni nos atque omnia nostra submittere: illud velle unum, quod illa vult, illud optimum putare, quod optimum illa ducit: suspectamque habere sententiam nostram, quae non ex obedientia ecclesiae orta sit, et ortam jam continuo deserere debeamus. Nunc vero contra videntur facere, qui nimia (ut ajunt) cupiditate atque affectu erga calicem ducti, prae impotenti quadam siti vel illum bibunt ecclesia repugnante, vel usque adeo studiose, perditeque calicem ambiunt, ut nullis rationibus, nulla lege, nulla (licet antiqua) consuetudine persuaderi queant, ut ejusdem obliviscantur. Nulla igitur (ut dicebam) honesta causa reddi potest, propter quam qui fideles sunt, receptam diu consuetudinem ecclesiae labefactari velint: et suppetunt efficaces rationes multae, cur alterutra specie contenti esse debeant.

In primis, quoniam illud nobis ecclesia praecipit, ut alteram tantum speciem laicis porrigamus, atque insuper ut altera tantum laici sint contenti: cui merito obtemperandum nobis est: quia nihil agit sine magna ratione, nihil statuit quod honestum non sit: nihil, quod bene institutis probari non debeat, decrevit unquam: neque in hujusmodi legibus ferendis errare potest. Deinde si latam legem, quam plurimis retro annis consuetudo jucundissimam effecerat, nulla evidenti necessitate convellatis, patres, suspicari multis in mentem veniet, aut vos illam temere, nulloque consilio tulisse olim, suscepisseque: aut susceptam cum ratione, et servatam diutissime in Christiana republica nulla vel causa vel ratione pro nihilo ducere: quo nihil fingi potest gravitate vestra, aut hujus amplissimi ordinis majestate magis indignum.

Accedit ad hoc, quod, ut nobis locupletissimi testes, atque omni (a) exceptione majores retulerunt, qui plurimis Germanorum (cum in Germania agerent) familiariter usi sunt, qui eo loci per omnia obediunt Romanis pontificibus, non solum calicem vitae non cupiunt, aut petere audent, sed, quod maxime mirandum est, constanter affirmant, nihil se tam indigne laturos esse, quam si contra servatum diu in republica Christiana morem, pontifex maximus, vel sancta haec synodus de calice bibere sinat: ut suspicio sit, hunc ipsum, quem plerique tantopere jactant affectum, discessionis ab ecclesia argumentum esse potius, quam ejus charitatis, quam erga ineffabile hoc eucharistiae sacramentum gerere se simulant.

Hanc opinionem probabilem superioribus rationibus, longe probabiliorem facit auctoritas, et doctrinae opinio confirmata longo usu rerum, quorundam episcoporum Germanorum, qui de hac ipsa quaestione in publica concione vestra illam sententiam dixerunt, nihil minus expedire, quam ut Germanis, hominibus nationis suae, negatus hactenus calix permittatur. Cum enim prudenter admodum (ut par est) in eorum mores inquisierint, ingenia probe norint, rationem vitae diligenter inspexerint, conatus denique omnes ad negum sint perscrutati, nisi ratio aliud et pietatis officium posceret, non difficile horum episcoporum animos atque studia patriae caritas incendere, inflammareque potuisset, ut suis hac parte hominibus consulerent, Quod si negatus laicis calix com-

(a) Generalis praepositus Franciscanorum, et societatis Iesu, et Petrus Soto.